



J35



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL  
 GRANADA

Sala: A

Estante: 4

Numero: 386

22.8



*Del Collegio de la Compagnia de Jhu al gran S<sup>co</sup>*

IN

IOELEM PRO-

R. 3729

PHETAM HOMELIÆ,

FRATRIS MATHV-

rini Quadrati Ebroici, Sodalitij

Franciscani, Doctoris

Parisiensis.




PARISIIS,

Apud Michaëlem Sonnum, via Jacobæ,  
sub Scuto Basiliensi.


M. D. LXXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



277825235

REVERENDO DOMI-  
NO ANGELO IUSTINIANO  
*Gebenensium religiosissimo Epif-  
copo & Principi, F. M.*  
*Quadratus S. P. D.*



V A in Rempubicam  
Christianam maxima &  
maximè immortalia me-  
rita digna essent, præsul  
doctissime, vt posteritati  
ab aliquo homero (quod  
summ̄is votis de se fieri  
optabat Alexander ille  
magnus) mirifice commendarentur, quò reli-  
gionis catholicæ Antistites ad tam præclara  
tandem concitarentur & accenderentur pie-  
tatis studia & officia, in gregisq; sui diligen-  
tiores curam tota mente incumberent, ne  
luporum rapacium ferocitas modo atrocior  
quàm vnquam fuit, & vulpina magis fraude  
tecta adeò inhumaniter tandiu læuiret ac  
grassaretur, mihi sanè cum primis venit in mè-  
tem eorum, quæ in comitiis Potiacis, ante-  
quam ad Episcopi munus vocatus esses, virili-  
ter atque constanter egeris, & quonam pacto  
Ecclesiæ Catholicæ totum negotium aduersus  
Sathanæ ministros, qui illuc vndiquaque con-  
fluxerant, inuictò animo sustinueris. Summi  
Pontificis legatus Ferrariensis ex omnibus

Italię partibus te potissimum delegerat, quem huiusmodi monstris, quę literas & eloquentiam iactabant, tanquã fortissimum propugnaculum opponeret atque obiiceret: neque sua profectò spes ipsum frustrata est, quãdoquidem Theodorum Bezam vitiis & nomine turpem, sed vitiisquã nomine turpiorem: nescio quid musitantem, vel potius vt excetra sibilantem, aduersus imaginem Christi, à muliere sanguinis fluxu diuinitus curata Cesarę erectam, quasi fractę imaginis à Iuliano Apostata Christiani frustra non collegissent, & in sacrario non deposuissent, collectis rationibus ex historiis gręcis, & à linguę proprietate petitis, ita ingeniosę, acriter & argutę confutasti, vt nisi in verba Iconoclastarum, vt & in alias ferę omnes ab Ecclesia dānatas hęreses pertinaciter ipse iurasset, cūmq; bene & nauiter oportuisset esse impudentem: vt qui verecundię fines semel atq; iterũ trāsferat, celeriter man<sup>o</sup> vt victi facere solēt, porroxisset. Tua in hęreticis conuincendis sedulitas vniuersis Gallię ordinibus tunc temporis enituit, tecūmq; *ὀμιλεῖν* capī, & grācas literas, quas duntaxat à limine salutauerā, à te vna cū Feuardério sodali nostro, mihi cū propter omnes virtutes, tum etiam propter studia cōmunia amicissimo, tuisque haud vulgariter obseruantissimo, tanquam diurnam sirim explere cupiens, auidē arripui & studiose didici. hanc enim iam Italia tota, & maximē Pius ille Summus Pontifex, (quem plurimum iuueras non-

Sozo. lib. 5.  
cap. 20.

dum ad huius summę dignitatis fastigium euectum) longe antea cognouerat. Propterea quum ille summi Pontificatus honore, bonorum omnium applausu potiretur, tuorum laborum memor in Gebenensium Episcopum te feliciter & faustē inaugurauit. Cupiebat autem vt qui in ista dicecesi, fraudulenta profugorum astutia miserē seducti erāt, tua summa cura & diligentia ad Ecclesię catholicę sacrosanctum ouile tandem reduceres, quod & plurimū laboras, tum doctissimis, & eruditissimis tuis concionibus (quę summam in admirationem trahunt omnes, quandoquidem gręcus & in Italia educatus, gallicę vt & gręcę & italicę concionaris, non minus quidem pię quã diserte) tum etiam in disciplina veteris Ecclesię instauranda, quę temporū iniuria ac pastorum ignauia & inscitia, vt in aliis Dicecesibus, sic & in tua maximē collapsa fuerat. Tu in his duobus ita sedulō hactenus versatus fuisti, vt quorundam politicorū vel aulicorū in vtranque aurem, omnibus pessum ruentibus, dormientium, inuidiam in te concitaueris, ac si multō acerbior & longē seuerior esses, quã tempora ista ferrent ac postularent. At verò qui ceteris in rebus te semper mansuetum ostendisti, in his quę ad pietatem spectant nunquã dissimulare potuisti, vt probē nouit vniuersa D. Francisci familia, quam multos annos sartam tectamque consilio & prudentia conseruasti, priusquam Episcopi munere functus esses. Vtinam vniuersi Eccle-

fræ pastores, qui in aulis principum versantur, impostorum technas tam liberè & apertè sine ambagibus detexissent. Religionis & patriæ proditores non tandiu sub pelle ouina, in totius Ecclesiæ labem & perniciem latitassent. Semper enim in ea constanter permanisti sententia, vt vulpes adhuc paruulæ intra casses tenerentur, ne annosiores factæ, serò, quemadmodum de simiis dicitur, maximæque difficultate caperentur. Si Arriū Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconum, Melitii nouitates sectantem, & ob id à Petro Alexandrino Episcopo iustè damnatum, ab exilio non reuocasset, alter nimium indulgens, qui Petro in episcopatu successerat, totam fere Græciam cum quibusdam Italiae partibus suæ pestilentissimæ hæreseos labe non infestasset. Siquidem sermo huiusmodi pestium instar gangranæ *συνεχῆς καὶ ὀλεθριῶς* serpit, cuius quidem magni tanta vis est, vt nisi ocysimè quis succurrat, facillimè pars laborans sensus, motus ac vitæ perniciè extinctionemq; contrahat, & mox in *σφάκελον* prorsus lethale incurrat. A sancto igitur ouili ciccò, longè lateque arceantur, ne tenellum adhuc & integrum pecus totum pestifero inficiant veneno. Eruca, bruchus, locusta & rubigò, quòrum sanctissimus Vates Ioel (in quem viginti homillas tuo nomini dicatas adidimtis) meminit, non sunt letis segetibus nocentiores, quàm isti nouarum opinionones, vel potius veterum instauratores, mitissimis Ecclesiæ ouibus, quas rectè conferre

possem cum iis ad quos Ioel suum (aut verius Dei) vaticinium dirigit. Constat enim ipsum ad duas tribus destinatum fuisse, quæ non à religione & pietate veteri, paterna & auita, neque etiam à domo regia Davidis omnino descuerant, licet plurimi corruptis essent moribus: sic etiam Ecclesiæ catholicae oues neque Apostatarum fraude, neque ambitionosorum tyrannidem ambientium multitudine potuerunt à Sanctorum patrum religione, nec à regum suorum sacramento, fide & obedientia, quam fuerant olim professi, penitus auelli. Vtraque siquidem persuasa fuerat religionis mutationem vna secum nouam Regum Principumque inaugurationem sæpissime afferre, & contrà. At de his satis. Reliquum esset sub quibus Regibus vaticinatus fuerit Ioel, paucis disserere, nisi ex subiectis B. Hieronymi testimoniis, & prima nostra homilia satisfecissemus. In summa tantum dicam quid ista vniuersa Ioelis propheta cõpletatur, cuius quidem argumentum haud dissimile videtur vaticiniis Hosæ, Amos & Isayæ. Populo imprimis supplicia, quibus & ipsi & patres ipsorum affecti fuerant, non sentienti, sed potius in illis perditè obdurescenti, tandem vastitatem per Babylonios minatur: Deinde ad pœnitentiam seriam cum lachrymis, gemitu, cinere & cilicio, quæ in summis periculis tutissimum semper asyllum & perfugium extitit, sedulo exhortatur: litanias etiam seu formam orandi, qua pœnitentes vti de-

bent, luculenter edocet. Tum demum consolationes insignes subdit longanimitate, misericordia, bonitate & clementia Dei: quum autem in domini Christi fauorem hæc omnia præstentur, de ipsius regno, donis & gratiis, vtpotè de effusione Spiritus, in omnes credentes, & de inuocatione nominis dei per vniuersam terram facienda, quæ fructu maximo nõ careret, copiosè disserit. Hæc extremis tantum digitis attigimus, Antistes optimè, vt qui hanc epistolam legere dignatifuerint, sempiternam singularis meæ in te obseruantiaë testificationem percipiant, simul ac discant quid Ioel noster suo præclaro & diuino vaticinio voluerit. Istud munusculum eo plane animo, quo tibi perofficiosè consecratur, accipias, obsecro. Vale.

## B. HIERONYMVS PROLOGO

GALEATO, AD PAVLINVM

*Act. 2*  
**I**oel filius Phatuel describit terram duodecim tribuum, eruca, brucho, locusta, rubigine vastante consumptam: & post euerisionem prioris populi, effusum iri Spiritum sanctum super seruos dei & ancillas, id est super centum viginti credentium nomina, & effusum iri in cœnaculo Sion. Qui centum viginti ab vno vsque ad quindecim paulatim, & per incrementa surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in Psalterio mysticè continentur.

IDEM PRÆFATIONE IN IOE-  
LEM, AD PAVLAM ET EV-  
STOCHIVM.

*Sanctus Ioel apud Hebraeos, post Osea ponitur: & sicut ibi sub nomine Ephraim ad decem tribus confertur vaticinium, quæ vel Samaria, vel Israel sepe memorantur, si in hunc prophetam omne quod dicitur, ad tribum Iuda & Hierusalem pertinere credendum est, & nullam omnino Israelis, id est, decem tribuum in hoc fieri mentionem. Tempora quoque quibus prophetauit, eadem debemus accipere, quæ in Osea legimus, in diebus Ozia, Ioatham, & Achaz, & Ezechie regum Iuda, & in diebus Hieroboam filii Ioas regis Israel. Porro, factum esse sermonem Domini ad meritum eius refertur cui sit, non ad conditionem eius qui fieri dicitur, vt alibi legitur: dominus factus est mihi in salutem. Auditus autem in scripturis sanctis non est iste, qui ad aures sonat, sed qui corde percipitur, iuxta illud quod dominus loquitur in Euangelio: Qui habet aures audiendi audiat. Quod autem dicitur Hebraicè Haazenu צמח, Græcè ἑστίασθε, & latinè sonat, auribus percipite, propriè non aure, sed corde percipitur. Qui senes sunt, & caelestes, audiunt spiritualiter: qui autem habitant in terra, appellanturque terreni, auribus percipiunt. Vbiunque autem hæc duo verba iuncta ponuntur, non ad simplicem tantum verborum sonum, sed ad reconditam quoque dictorum intelli-*

Psal. 117.

Genes. 4 gentiam pertinere intelligendum est. In Genesi, Lamech loquitur ad uxores suas, Ada, & Sella: Audite verba mea uxores Lamech, auribus percipite sermones meos. Quia virum occidi in vulnus meum, & iuvenem in liuore meo. Et Esayas: Audite celi, & auribus percipe terra.

Esa. 1

## IOELIS PROPHETÆ VITA ET

INTERITVS EX D. EPIPHANIO.

**I**Oël porrò Propheta ex agro Bethor, de terra Rubim oriundus, permulta quoque super Hierusalem prophetauit, & de consummatione gentium vaticinatus est. Hic quoque diem in pace obiit, & cum honore & gloria in Bethor humatus est.

## AD DOCTISSIMVM ET RELIGIOSISSIMVM DOMI- NUM Quadratum, doctorem Theo- logum: In commendationem Homeliarum in Iohalem Prophetam.

**P**atidico Solymos sanctus monet ore Iohelis.  
 Ut leges Moysi iurisque sancta colant.  
 Vincula seruitique camit si sacra morem,  
 Regis & idolis thura profana ferant.  
 Edocet Emphyrei numen venerabile Paris,  
 Quam sit cunctipotens, quam pius atque bonus.  
 Et tu (dulce decus Sophia, Quadrante, Ioheli,  
 Interpret) Gallos iussa sacra doce.  
 Mercurium eloquio vincens, pietate prophetas  
 Aequans, & parum dogmata sancta tenens.  
 Bistonium superas vatem qui pectine saxa  
 Mollit, inferni peruigilemque canem.  
 Namque dolos aperis Sphyngeū, ambagēque resolis,  
 Dædæleas, Verbis pectora cæca regens.  
 Clarus es ingenio, promptus, linguaque disertus:  
 Clarior at scriptis docta per ora volas.  
 Non tam cultus erat (credo) sermone Prophetes,  
 Aut tam divino præditus ingenio.  
 Non tam veridici valuerunt scripta Iohelis,  
 Non mala, non scitis horrida verba minis:  
 Iudæum nec enim potuit conuertere mures,  
 Solemni festo nec reuouere sacra.  
 Ex quo captiui (miseriam) Babilonia superbum  
 Missi, Chaldæo colla dederunt iugo.

At tu (mi Quadrate) afflatus numine Christi,  
 Scriptis resplendens moribus atque piis.  
 Christi cultores confirmas ore trilingui,  
 Samsonis vulpes compede & igne premens.  
 Illos & reuocas umbroso Ditis ab antro,  
 Ducis & ad celsa sidera clara poli.  
 Sed cur plura loquar? Comprendit hebraea Iohelus:  
 Ast hebraea simul, graca, latina doces.

A DEVNDEM  
 HENDECASYLLABI.

Cur te Christus amat? Sapis, Quadrate.  
 Cur te Christus amat? Doces, Quadrate.  
 Cur te Christus amat? Rogas, Quadrate,  
 At non quod sapis, & doces, & oras.  
 Prodest tamen tibi, mi Quadrate, quam quod,  
 (Vis paucis referam?) alter es Iohelus.


N. YVELINVS  
 NOVOBYRGENSIS.



I N  
 IOELEM PROPHETAM  
 HOMILIAE, F. MATHVRINI  
 Quadrati, Doctoris Parisiensis,  
 Sodalitij Franciscani.

HOMILIA PRIMA.

Verbum domini, quod factum est ad Ioel filium Pe-  
 thuel. Au linc her senes, & auribus percipite omnes ha-  
 bitatores terrae: si factum est illud in diebus vestris, aut in  
 diebus patrum vestrorum? Super filiis vestris narrate, &  
 filii vestri filiis suis, & filii eorum generationi altera.



VIVS vatis Ioclis, quem  
 pro concione sum explica-  
 turus (eius beneficio & gra-  
 tia fretus, cuius instigatu  
 afflatuque ipse correptus  
 divina iusti oracula) tanta  
 fuit in ecclesia autoritas, vt  
 D. Petrus in priori sermo-  
 ne, quem Hierosolymis habuit, nullum praesen-  
 tius & efficacius sacrae scripturae testimonium re-  
 perire potuerit, quo Apostolorum perfidos ir-  
 rifores refutaret, atque simul praecipuum Chri-  
 stianae religionis caput, nimirum de Spiritu san-  
 cto. Act. 2.



Rom. 10

cto in omnes credentes effundendo cōfirmaret. Quem D. etiam Apostolus secutus, in ea quę est ad Romanos epistola, vt quęstioni perdifficili, & perobscurę inter Hebręos & gentes enatę finem imponeret, huius prophetę vaticinio prę cæteris ( vt de illo, cuius autoritas apud omnes semper plurimum valuit ) vsus est. Quod si duo isti ordinis Apostolici facillē principes ac ecclesię columnę, huius ipsius vatis sacrosancto testimonio, pręcipua fidei nostrę capita deffenderint & confirmarint, nemini superfluum & inutile videatur, si his postremis, infelicissimis & periculosissimis temporibus, quibus pręcipuos fidei catholicę articulos, quos factos rectosque hæctenus retinuerat ecclesia, hæretici & athei in dubium reuocare tentant, eundem ipsum, velut ij qui ex suggestu docent secuti, Catholicę Apostolicęque Ecclesię vniuersitatem, antiquitatem atque consensionem populariter interpretentur. Atque hæc pauca de vatis nostri autoritate cordatis ac piis omnibus sufficiant: nunc autē quibus sub regibus degerit breuiter strictimque dicamus. Et si suspicantur aliqui ipsum docuisse sub Ioram Achabi filio, quia dira fames tunc temporis totam terram occupauerat, alij vero sub Manassē, cuius nomen ob vitę impuritatem hęc subtriceretur, D. tamen Hieronymo & aliquibus Hebręorū Rabinis videtur suum ædidisse vaticinium eo ipso tempore, quo & Oseas. Nam cum prophetę, inquit, nomina regum sub quibus suo sancti sunt ministerio, reticent,

4. Reg. 8

4. Reg. 21

consequitur ipsos sub iisdem regibus vaticinatos qui nominati in superiore fuerint: licet eo Osea fuerit natu minor & Isaia, quia regni Israel non meminit vt ipsi. Verisimile est autem ipsum Ezechię postremis temporibus ad duas tribus Iuda & Benjamin, penes quas solas veri Dei purus & syncerus cultus ad sua vsque tempora fuerat obseruatus, prædicasse, nec illas adeo acerbè tractasse vt ab aliis prius fuerant, quod consolationibus potius, quàm duris & feueris increpationibus indigerent. Adnotabimus interea multa reformatione adhuc opus fuisse, regnante etiam Ezechia principe optimo & piissimo. *Is. 30*  
Qui cum religionem diffidiis & bellorū diuturnitate multum deformatam in integrum restituere conaretur, cū Ægyptiis infidelibus, equitatu tūc potentissimis, adulatoriē & subdolē à politicis & aulicis, qui potius rationem habent humani quàm diuini auxilii, persuasus, scædus iniit etiam interdicante Isaia: cui & plebs tota diuerso scelerum genere conspurcata stultè consentiit, velut ex aliis prophetis liquidò constat. Quare non est quod turbemur, sed moderatè & placatè feramus, si reges nostri Christianissimi, qui à fide, quam semel religiosè amplexi sunt, nusquam, ne latum quidem vnguem, defecerunt, aulicorum & huius mundi sapientum incredibili importunitate victi faciant ea, quę maturius consilium postularent, quo ad perfectam priscorum pietatem magis accederent. Nō idcirco temerè de illis iudicemus, sed potius

Deum optimum deprecemur, ut procul abigens ab iis *ἀμαρτῆς* istos, religioni tot & tantis ciuilibus bellis miserè labenti succurrat. Si etiam in ecclesiâ adhuc nefaria grassantur vitia, quamuis regum & pastorum sancta non desint studia & pietatis officia, non despondendum animo, nec propterea ecclesiâ catholicam deserere oportet: sed verbum Dei in ea audiendum, ut & sub Ezechia factitatum intelligemus. *Verbum domini*, &c.

Præfatio ista, angustior sanè quàm prima fronte appareat, omnibus fere prophetis peculiaris est. Ea namque ipsa vaticinia notare sua atque insignire consueuerunt, ut illa spectabiliora, præclariora, & fide digniora reddant. In eo siquidem quod non suas cogitationes, non hominum somnia, non inanes ac vanas hæreticorum fabulas, sed perpetuo constans, nec vlla ratione mutabile Dei verbum, ecclesiæ proponunt, se fidos voluntatis diuinæ interpretes, & diuinorum ministeriorum dispensatores æquifimos ostendunt. Tales fuisse Christi Apostolos notat Tert. lib. de Præsc. dicens: Apostolos domini habemus autores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinâ, fideliter nationibus assignauerunt. præterea impiorum ora occludunt, ne verbi dei præconibus obstrepant, doctrinam catholicam irrideant, perinde ac si aliquid humani esset, cui nisi religiose sanctèque crediderint, suo tandem periculo & exitio sentient verû planè dei verbû esse, & non hominum cõmenta.

Fuerunt enim prophetae omnes *οαριστῶν* *θεῶν* & spiritus Dei, nõ fabulosè ut Homerus de Minoë cecinit, quã *οαριστῶν τῶ θεῶν*, i. Iouis auditorè appellat. Suam quoque vocationem vates hæc *Heb. 5* inscriptione & titulo aduersus obrectatores asserit, indicans inueniẽtque pari ratione qua Aaron vocatus suggestum se ascendisse, & sic ecclesiæ ordinem minime perturbasse. Missas prædicauit, multum dissimilis falsis vaticiniis: quippe qui nõ missi currunt, quique sibi (verbis vetustissimi pariter & maximi Tertuliani vtor libens) sunt & professores & testes, etiam si in aliis omnibus artibus nemo sibi sit testis & professor. De eorum temeritate & prauitate grauitè conqueruntur, præcipuè Hieremias ac Apostolus Paulus. *Verbum ergo domini factum est ad Ioel*, non sic tamen, ut tantum thesaurum penes se inclusum retineret, sed ut ecclesiæ fideliter & amicè *Cap. 13.* communicaret. Seruus ille euangelicus, qui talentum domini sui in terram absconderat seuerrissime reprehenditur: nec quisquam lucernam *Cap. 10.* accensam in oculo ponit, neque subter modium: sed in candelabrum, ut qui ingrediuntur *Matth. 2.* lumen vident. Vt illis qui habeant clauem scientiæ, & ipsi non introeunt, & ipsos qui introibant *Matth. 5* prohibuerunt. Vt si non euangelizauero, inquit *Luc. 11* Apostolus. Et Esaias, Vt mihi quia tacui. Videant ergo qui potentes sunt in opere & sermone *1. Cor. 9* quanta maneant illos supplicia, quando quidem *Isa. 6* pecuniam domini sui penes se reclusam detinent, neque simplicibus, ignaris & idiotis, ut

præcepit dominus, liberaliter largiuntur. Variis enim ac diuersis modis Deus opt. Max. hominibus loqui solet: nimirum per prophetas, per Apostolos, per ecclesiam & sacras scripturas. Verbum etiam multipliciter accipitur, aliud incarnatum, aliud literis mandatum, & aliud viua voce traditum. Quodcunque tandem sit illud auidè excipiamus, audiamus, & alta mente repositum teneamus. Si enim quempiam è summo cælo descendentem repente conspicuamus, inquit Chryostomus, qui arcana illa certè nobis se dicturum polliceretur, omnes certatim concurreremus, itidem ergo & nos in præsentiarum faciamus: Nam (teste D. Augustino) non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audit, quàm ille qui corpus Christi in terram cadere sua negligentia permiserit. Atqui certè de his satis. Iam verò quis fuerit noster Ioel paucis aperiamus. *Filius Phatuel* extitit, inquit ipsemet vates. Hebræi suspicantur patres prophetarum, qui in scripturis nominantur, spiritu quoque prophetiæ fuisset præditos: Sed quomodo cunque sit, constat honoris gratia eos nominasse, ne quod aiunt, terræ filii, vel obscuris progenitoribus, sed honesta ac præclari familia nati apparerent: Neque falsò munus illud aliquando euetu probandum suscipere voluissent, si ipsorum familiæ dedecori fuisset. Longè secus fallaces nostri temporis prognostici, & futurorum scilicet, prælagi. Ad hæc qui sic parentum suorum nomina vaticiniis præfigunt, suum mini-

Chrysof.  
prologo in  
Ioan.  
Lib. 50. hom.  
Hom. 26

sterium non erubescere, sed ingenuè profiteri demonstrant: Quemadmodum etiam ipse Apostolus, qui gentem, sectam & studia, vt pseudo-ministris silentium imponeret, nominare coactus est. Quamplurimi hæreticorum ministri sua mutarunt nomina, quòd ipsi essent obscuri, vel eorum vita adeo improba extirerit, vt indigni prorsus essent, publico ministerio fungi. Non sic Ioël, qui patrem suum nominare non erubuit. Phatuel enim dicebatur, quod si latinè interpreteris, flexi-deum significabit: propterea quod suis orationibus sæpenumero Deum inflexerat, vt iram à populo tandiu bellis afflicto clementer auerteret. Quod si dominus Deus tum per Phatuelem tum per eius filium Ioëlem docere Synagogam non desit, quam non adeo vnicè vt Apostolicam ecclesiam dilexit, quomodo eam ipsam ecclesiam sine prophetis, pastoribus & doctoribus veris ac sinceris tandiu dereliquisset, scilicet quousque profani apostata illi suum quintum euangelium mortiferas Sathanae catapultas redolens obrutusissent? Aliquos (vt de Marcionistis dixit Tertulianus) scilicet Iugnosticos liberanda veritas expectabat: interea perperam euangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam ministrata, tot virtutes, tot charitativa perperam operata, tot sacerdotia, tot ministeria perperam functa, & tot denique martyria perperam & ia vanum sunt perpeffa? Ergo omnes, qui in Christo, vt cum Apostolo loquar, ob-

2. Cor. 11

Tertul. lib.  
de Præf. 11

1. Cor. 15

dormierunt, perierunt. Sed hæc hæcenus. Textum prosequamur. *Audite senes.* Exordio graui admodum vates vitur, quo suos attentos reddat auditores, pollicitus rem magnam, & omnibus cognitu necessariam sibi dicendam esse. Hoc inquam, proëmio voluit auditorum parare animos, ne semen verbi Dei terræ malè fecundæ mandaretur, & in agrum sterilem, infrugiferum, nec benè cultum conderetur. Eadè methodo apud D. Mattheum vsus est Christus. *Qui habet aures audiendi audiat, hanc præfaciunculam suis præmittens concionibus, ne tam præciosæ margaritæ ante porcos immundos prolicerentur.* *Audite senes,* quos iam longa vita, vsusque rerum maximarum & experientia docuit, quidnam sin dicturus: quin & omnes incolæ terræ auribus percipite. Verbum Dei ad omnes ex æquo pertinet, quandoquidem, non est Indæus neque Græcus, non est seruus neque liber, non est masculus neque fœmina, & ideo tam iuuenes quàm senes compellat. Senes tamen primum locum obtinent, tum honoris gratia, tum etiam quòd habeant iam pedè in cymba (vt dici solet) Charòtis, propterea diligètiore esse debent ad audiendum verbum Dei, vt illo ipso fulti ac firmati, latius suæ senectæ cursum perficiant. Ad hæc, non tam facilè senibus quàm iuuenibus imponitur. Nomine etiam senum principes & facientes intelligit, & qui auctoritate aliqua pollent. Hoc ipso quoque nomine, ecclesiæ ministri & sacerdotes, Apo-

Matth. 13.

Gal. 3.

stolorum temporibus vocabantur. Tanto enim honore seniores Apostolus prosequèbatur, vt *1. Timoth. 5* Timotheum docuerit, ne ipsos increparet, sed *1. Pet. 5* ac si patres essent adhortaretur. D. Petrus quoque iubet vt senioribus iuuenes subditi sint. Et Sapiens in Ecclesiastico monet diligèter, ne nos *Eccles. 8* prætereat narratio seniorum. Si nostræ tempestatis hæretici, ecclesiæ patres senectute & doctrina venerandos reueriti fuissent, eorum doctrinam verbo Dei penitus innixam, nõ ita suis affectis inuisam reddidissent. Atqui redeamus ad illud vnde diuertimus: *Audite hæc senes, & auribus percipite,* &c. Aliqui dictioni hebrææ אָזְנוֹתַי דָּבַר דְּיָהוָה, & verus interpret, Auribus percipite, reddiderunt. Dicunt enim significare non solum auribus corporis aliquid percipere, sed etiã cogitatione & mente. Vnde verbum istud in piel & hyphil ponderare significat. Vult ergo vates vt verbum Dei non perfunctoriè & oscitantè, sed promptè & alacriter amplectamur, toto animo & attentissima cogitatione audiamus. Et quoniam facilius ea memoriæ commẽdamus, quæ audimus, quàm quæ legimus, scriptura *Deu. 6* ra sapientissime inculcat. Narrabis ea filiis tuis: & *Exod. 13* quãdo interrogauerit te filius tuus, dices ei, &c. *Psal. 43* Et illud etiam Deus auribus nostris audiimus, & patres nostri narrauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Vaticinium enim, quod apud se meditabatur Ioël, statim autem in vulgus adendum, secu-

lis omnibus elapsis inauditum fuerat, propterea addit: *Si factum est hoc in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum.* Res assuetas, quas in dies experimur, cōtemnimus & pro nihilo ducimus, sed istæ à seculis sunt inauditæ: idcirco hac de re cum filiis vestris colloquimini, & illi vicissim cum suis, & nepotes vestri cum generatione colloquantur altera, id est in tempus longinquum istam sententiam enarrare poteritis. Res sane digna est, cuius meminerint & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Doctrina, quam filij à patribus didicerunt, manet apud illos alta mente reposita, ut vix ac ne vix quidem illis vnquam excidere possit. Hinc frequens illa & vulgaris sententia apud nos (quando nobis obiiciunt heretici cur ista vel illa tam arctè teneamus & accurate defendamus) vsurpatur, Patres nostri annuntiauerunt nobis. Sed proh sancte Deus, quotus quisque patrum hodie suos docet liberos? Tantum abest, imo verò sæpe contingit, ut eos præceptoribus malæ famæ & vitæ tradant erudiendos: ita ut pauci ex scholis ad patres boni viri & docti redeant. Ista quoque doctrina, quæ traditione acquiritur, non solum apud Christianos, sed etiam apud ethnicos & infideles plurimum valuit. Vnde Pytagorea illa philosophia (cuius Galli nostri Druides, ut & quōdam Italia Pytagoreorum referta, fuerunt admodum tenaces) tanti aestimabatur, nisi quia viua voce & traditione quadam docebatur, nec vulgi manibus terebatur? Apostolus inter perfectos (quales

*Psal. 43*

*1. Cor. 2*

erant ij, quibus ecclesias committebat) sapientiam loquebatur, quam scriptis non mandauerat. Viuæ vocis oraculo Corinthiorum ecclesiæ tradiderat non pauca, quæ de mensæ dominicæ institutione credenda erant. Tessalonicos iudicii horrore concussos & tremefactos exhortatur tenere traditiones, quas didicerant. Ecclesia primaria quo vsque euangelium scripsissent Matheus, Marcus, Lucas & Ioannes, tradito verbo erudiebatur, quin etiam Marcus calamo excepit Romæ, ut à Diuo Petro illic tradebatur, quemadmodum lib. de scriptoribus Ecclesiasticis docet Hieronymus. Lucas quæ ab Apostolis traditione acceperat, scriptis mandauit, ut in sua præfatione testatur. Et ut summatim dicam, veteris ecclesiæ patres per traditionem quæstiones omnes, quæ in controuersia & contentione versabantur, semper iustè sapienterque disceperunt. Clemens Romanus traditiones æquandas gloriosius saluatoris nostri vocibus, docuit. Ignatius Martyr ad sedandas vel potius tollendas de religione discordias, quæ per totam Asiam effluerant & eruperant, ad traditiones, tamquam ad tutissimum asyllum sese contulit. Policarpus, Philippenses Marcionistarum & id genus pestium prestigiis circumentos & delusos, ad meliorem frugem & saniolem mentem, apostolicæ traditioni constanter innixus, reduxit. Beatus Irenæus Lugdunensis Episcopus vniuersas sui seculi hereses hisce traditionū acerrimis telis penitus confodit. Tert. de corona militis, iisdem armis

*2. Tes. 4*

*Luc. 1.*

*Lib. 1*

*Const. c. 1*

*Epist. ad*

*Philad.*

*Iren. lib.*

*3. c. 3*

frerus omnes fere ritus. quos hactenus sancta & catholica ecclesia, nō in Baptismo, tum in sacramini mensa, & in nobis signo crucis consignandis fortiter ruerit ac defendit. Vt autem citandis patribus finem imponam, Diui Augustini vnicum subiungam testimonium: In his rebus inquit, in quibus nihil statuit diuina scriptura, mos populi dei, & instituta maiorū pro lege tenenda sunt. Is enim cōtra Iulianum Pelagianum veterum patrum consensum concentumque citat, vt in parulis recens natis est: peccatum originale conuinceret. Maiores igitur nostros de fidei rebus præcipuè sciscitemur, quemadmodum Nectarius antistes Bizantinus consilio Syfinii tunc Nouatianorum lectoris eruditissimi frerus, qui pro exponenda scriptura coram Theodosio, ad patrum monumenta & traditiones, quorum nihil intererat vtra partiū vinceret, confugiendum censuit. Sacra scriptura clarè & aperte id nos vtiq; docet: Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi, maiores tuos & dicent tibi. Stare super vias & videte, inquit Hieremias, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: & inuenietis refrigerium animabus vestris. Sic cum diuo Hieron. hereticos alloqui possumus, Aduersus Ioan. Hierosol. Quisquis es assertor nouorum dogmatum, queso te vt parcas Romanis auribus, vt parcas fidei, quæ voce Apostoli laudata est. Cur post quadringentos annos, imo

Socrat.

lib. 5

cap. 10

Deut. 32

Hier. 6

verò post mille quingentos & septuaginta, docere nos niteris, quod ante nescimus? Vtique ad hunc diem sine ista doctrina mundus christianus fuit, illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum. Hæc hactenus. Quemadmodum enim patres nos docuerunt, sic charitas exigit, vt posteritati quoque prouideamus, quandoquidem non solum nobis nati sumus. Abraami pietas hoc quidem nomine commendatur. Scio, inquit dominus, quod mandaturus sit filiis suis, & domi suæ post se, vt custodiant viam de mini, faciantque iustitiam & iudicium. Curam & diligentiam parentum in filiis piè educandis, benedictio siquidem sequitur, vbi contrà incuriam & negligētiam maledictio iuxta Salomonis sententiam, dolor patris filius stultus. Plurimum itaque de republica christiana merentur, qui posteris suis seruiunt, siue in tradendis, qua ad pietatem & religionem spectant, siue in historia componenda (cuius quidem prima lex est, ne quid falsi dicere audeat, deinde, ne quid verè non audeat, neque suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis) quia futura posteritas, præteritorum exemplo cautiōribus vtatur consiliis, & sit omni ratione protectior. Sed pròh deum, qui hodie commentarios scribunt, historia leges violant ac furditus corrumpunt & evertunt: vel vt principibus assententur, vel vt suæ factionis partibus & si impudenter, interim faucant. Vult tamen demeritus Deus vt posteritati res, quemadmodum gestè

Genes. 18

Proverb. 19

sunt, simpliciter & sine fuce tradamus. Quæ igitur mira & prodigiosa nostris temporibus acciderunt, posteritati diligentius commendare debemus, quò grauitate supplicii istis præflagitationibus denunciati, tandem aliquando monita posteritas Deum timere discat. Faxit Deus Opt. Max. vt verbum suum, nostræque ætatis & memoriæ res gestas posteros nostros purè ac syn- cerè doceamus, vt eo die, quo nobiscum rationes accepti & expensi subducturus est, audire mereamur: Euge serui frugi atque integri, qui in modico fuistis fideles, intrate in gaudium domini vestri: cui laus honor & gloria in se- cula seculorum, Amen.

*Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo. Ex- pergiscimini ebrii & flete, & ululate, qui bibitis vinum in dulcedine, quia perit de ore vestro. Gens ascendit super terram meam fortis & innumerabilis, dentes eius sicut dentes leonis, & molares eius vt catuli leonis. Posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticauit: nudans expoliavit eam & proiecit: albi facti sunt v. ani eius.*

**D**Eus qui pater misericordiarum & totius consolationis auctor est ac nuncupatur, <sup>2. Cor. 1</sup> sic erga homines affectus semper fuit, vt nunquam in eos animaduernerit, quin prius impendentia pericula prophetarum oraculis, aut signis prodigiis atque portentis, vt sibi magnopere cauerent, clementer prædixerit, ac benigne præmonuerit: quemadmodum videre licet in his quatuor insectorum generibus, quæ totam penitus terram deuastarunt atque exinanierunt. *Residuum erucæ comedit locusta, &c.* Neque verò tantum nos pungunt & excitant frequenter & assidue calamitates & ærumnæ, quantum ipsarum frequens ore prophetico vehementius repetita comminatio. Si vnus anni tantum terræ prouentus istæ bestiolæ corrosissent, illud fortè non fuisset animaduersione dignum, vel parum mouere potuisset Iudæos, quippe qui obrorpuerant, & iam quasi diuturna vitiorum consuetudine callum obdlexerant,

sed quatuor continuis annis, vario noxiorum animantium genere tota annona peritura eo maximè commouere debuit: Primum quidem per gasan, genus vermium à pascendo & detondèdo superficiem dictum, pro quo vulgata æditio erucam habet: quod si quid vobis fecerit reliqui, ait vates, id postero anno deperdatur per arbe (id est locustam) à multitudine nomen accipiens: tertio verò anno corrumpet omnia leleq, qui à corrosione & volatu celeri sic vocatur, bruchum verrit communis interpres: Si autem quidquam vobis relinquat edax bruchus iste, id quarto anno exedet lhazzil, à deuorando & deuastando dictus, grecè *καμνη*, latinè verò rubigo interpretatur. Hæc igitur singulari obseruatione digna erant, & vt futurorum malorum præfagia ac præsignificationes, famis videlicet miserimæ, vel cuiusdam sæuissimi ac atrocissimi belli. Tale locustarum densum agmen anno domini 1542. & 1544. & 1546. Germaniam & Italiã vastasse à nostris historicis scribitur. Quid aliud ista quæso portendebant, nisi Germanorum tanta pro religione dissidia, atque Italo- rum (maximè Venetorū) cum Turca, christiano nomini infensissimo, atrocissima bella? Gallia nostra plus solito hæc insectorum generibus, ante ciuilia bella vexari cæpit, vt frequentissimos cometas, & fluuiorum inundationes taceam: quæ quidem omnia, si mens non leua fuisset, satis superque nobis tot futura mala, quæ à sexdecim annis patimur, prænunciabant. Et si prophetæ huiusmodi

huiusmodi verborum & rerum inuolucris pestiferum aliquod exitium soleant prædicere, vt de Hieremia constat, qui in his admodum frequens est, quemadmodum cap. 1. 18. & 27. videre licet: istam tamen prouentuum deuastationem depopulationemque iuxta literam contigisse nemini dubium esse debet, quæ miserimã famem iudeorum populo pertinaci ac pœnitente nescio attulit. Quando ergo nos fame vel caritate annonæ præmi sentimus, nosse oportet Deum ob scelera nostra nobis infensum esse, quòd fames maxima plaga sit, quæ graues calamitates, nimios angores & maximas necessitates secum aduehit. Sed ò vtinam meliores efficiamur, Egyptii tempore famis agros & suppellectilia, seipso etiam vendiderunt. *Gen. 47*  
Tren. cap. 4. *4. Reg. 6*  
melius fuisse gladio occisis, quàm fame enecatis scribitur. Quamplurimæ matres famis rabie agitæ, propriis filiis non pépercerunt. Famem interea sine dubio Dominus Deus immittit, vt castigati tandem aliquando ad illum reuertamur, vt filii prodigi parabola præclare docet: Illud quoque non erit silentio prætereundum, nimirum Deū, qui exercituum dominus passim vocatur, animalcula illa armare solere, vt de ferocissimis tyrannis & gentibus ferocissimis vindictam sumat. Pharaonis exemplum ad memoriam posteritatis proditum est, cuius arrogancia intoleradãque ferocia muribus, ranis, cimicibus, muscis & pediculis ira edomita & compressa est, vt Mosis famulo Dei supplex fieret. *Philistæis de*  
*1. Reg. 5*



arca domini triumphantibus simile accidit. pari modo Antiochus peccati radix, Sylla libertatis publicæ inuasor, & Herodes sanctorum interfector à vermibus corrofi sunt. Varro scribit teste Plinio, à ranis ciuitatem in Gallia pulsam, oppidumque in Thessalia à talpis suffossum, atque etiam ex Gyaro Cycladum insula incolas à muribus fugatos fuisse. Iustinus siquidem affirmat Abderitas propter ranarum muriumque multitudinem coactos patriam solum relinquere, & nouas fedes querere. Sic saepe fit vt dominus Deus populos barbaros & ignobiles concitet atque adducat, vt regna & imperia florentissima domer, funditus ac radicitus euertat. Taciti ergo apud nosmetipsos poenas, quibus castigamur, consideremus, quæ quidem & si in principio leues sint, grauiorum tamen prodromi, præcursores ac præcones sunt, nisi omni abiecta cūstatiōe, maturèque respuerimus. Ne autem aliquis diceret, immeritò Deum illa insectorum varia genera, quæ omnes terræ fruges consumpserant emisisse, subnectit abusum quo epicurei & consumere fruges nati, gurgites & voragines patrimoniorum, in dies helluantur. *Experi se mini* aiebat, qui exliccandis poculis studetis, atque ebrietati. Ebriorum mores graphicè hinc depinguntur, qui tunc temporis apud Hebræos multi erant vt alii prophetae scriptis mandarunt, & præcipuè Isaias cap. 5. Vt qui cōsurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & ad potandū vsque ad vesperā vt vino astuetis. Et paulo post, Vt qui potentes

estis ad bibendum vinū, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. Quamplurima sane mala secū affert ebrietas: in primis Dei obliuionē, vt apud Mosē scribitur de Israelitico populo, qui postquā sedisset ad edendū & bibendū, ebrius & temulentus surrexit, vt ethnicorum more, circa vitulum conflatilem choreas duceret. Nec mirum sanè cum teste Horatio, ebrius in omnibus sui obliuiscatur: ait enim, Quid non ebrietas designat? opera recludit, spes iubet esse ratas, ad prælia trudit inermem. Hinc prouerbialis etiam ista sententia: *Ὁ οἶνος ἀληθεύει*, id est, in vino veritas, passim apud authores vsurpatur, significans ebrietatem animi fucum tollere, & quicquid in pectore conditum est, in apertū proferre, ac vsque adeo mentis arcana prodere, teste Plinio lib. 14. & 22. vt mortifera etiam inter pocula loquantur homines, & ne per iugulum quidē reddituræ voces contineat. Ad hæc aiebat Clemens Alex. lib. 2. cap. Pedag. Improbiorum hominum mores in vino maxime perspicere contigit, vt qui sunt cum simulatione nudi. In fine seculorum, quando filius hominis veniens ad iudicium vix vllam fidem in mundo reperiet, homines sic gulae & ebrietati dediti erunt, & idcirco monet nos dominus, ne corda nostra grauentur crapula & ebrietate. Si vero aliqui exhauriedorum studiosi poculorum, nominis Dei meminerint, illud erit per contemptum, vt pote peierando, & blasphemis verbis augustissimū dei nomē afficiendo.

Præterea qui vinosi sunt, nullum seruant decorum, quod Græci *ωρέτιον* appellant: Nam senes grauitatis, dignitatis & ætatis obliui, inter pocula, multa effutiunt indigna, quæ iuuentuti indomitæ & effrenatæ animum præbent vt petulanti-  
 Gen. 19. or euadat. Ad hæc ebrii & tumultenti cæteris procliuiorés sunt ad luxuriam. Lethum vino madentem ebrietas decepit, quem Sodoma non deceperat: ipse vino captus, flammis mulierum exustus est, quem sulphurea flamma non attigerat. Non abs re dicebat Apostolus, Nolite inebriari vino in quo est luxuria. Gentes ebrietatem sunt detestatæ, vt hominum naturæ profus aduerfantem, cum nec bruta plus bibant quam postulatur nature ratio. Lacedæmonii in ebrietatis contumtionem ac despicientiam solebant vinum aut res Hæliotas plenos vino, ac prorsus sepulchros in medium proponere, eorum opera qui phiditiis vt præerant iuuenes viso tam ridiculo spectaculo, ab ebrietate deterretent. Romani ebrietatem tanto odio prosequabantur, & precipuè in vxoribus suis, vt si ipsæ vinum dûtaxat oleret, morte à viris impune plecterentur. Græcus poeta ebrietatem auersatus sic inquebat *εμάθυο, ιχανὴ πρὸς φασίς εἰς θ' ἀμαρτάνειν*. Ebrietas  
 Pithagoræ τῆς μανίας μελέτη. Sophocles Æschili ebrietatem sic irridebat, *εἰ καὶ δύνωτα ποιεῖ, ἀλλ' ἔκ' εἰδώς γε*, etiam si bonos versus faceret, laudem tamen non merebatur, quia nesciens faciebat. Sunt & alia permulta mala, quæ ab ebrietate manant, illa

ramen breuitatis studio pertranséo, vt textum prosequamur, *Expergiscimini*, &c. Omnes hodie prophetam attente audire debent, quandoquidem à minimo, vsque ad maximum certatim ebrietati inserviunt. Nam vulgaris artifex, etiam pauper & inops baiulus quicquid per hebdomadam lucratus est, diebus dominicis in œnopolio & caupona prodigè absūmit, vxore interim & miserimis liberis fame pereuntibus. Sacerdotes quoque, quibus lex vino interdicebat, præcipuè quando sacra curarent, ab hoc vitio (proh grande nefas) hoc tempore minime sunt immunes.

*Expergiscimini omnes œnopota*, &c. Ebrii sunt admodum somnolenti, dormientibus similes, & ad aliquid boni faciendum prorsus inutiles, quâdo nec ratione, nec sensibus integris vtantur; in vitiis etiam suis ob dormiscunt, vel in illis lætatur & exultant, sua symposia, lyra, cithara, nablo, tibiâque replentes. Quamuis ebrietas plus omnibus aliis peccatis metis perspicuitati & ingenii acumini obsit, possunt tamen & hoc loco intelligi illi vel qui mundi fastu turgent, & qui auri sacra fame inebriantur. Omnes quotquot estis flete ac ciulate, maximèque vos œnopoτῆ, idque super vino musto, quod ori vestro adimetur. Si peccata vestra flere contemnitis, saltem flete & vlulate propter meracissimum & suauissimum vinum, quod à vobis auferam, ne amplius illo, vt solebatis, in contemptum Dei abutamini. Non mirum cuiquam

videri debet, si quando præmatura messis tandiū expectata propediem falce rescanda, & vindemia proxima vt in vtres recondatur, turbine, grandine, vento, vel aliquo alio modo vtrique nocētissimo pereat, quādo quidem Dei opt. max. bonis sic intemperanter, nimisque licenter totus fere abutitur mundus. Acerba siquidem res est, ait Nazianzenus, Oratione in plagam grandinis, præmatura messis, & agricolæ laboribus suis ingemiscens, ac velut mortuis foetibus affidentes, quos miti pluuia enutritos fera & immanis pluuia detressuit, quibus non impleuit manum suam qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit, nec propter ipsos benedictionem eam, quam viatores agricolis impertire solent, consecutus est: veruntamen plagis adeo acerbis digna sunt mortalium scelera, qui dei benedictionis tam impiè ac prophanè in dies abutuntur. Hóseas enim & alij Prophetæ, idololatrias, adulteros, & auaros, Ioël verò noster ebrios reprehendit, vt Deum ostendat odio prosequi luxum & ebrietatem. Et quoniam ebrietas priuatum videretur esse peccatum, exiguum censetur: at verò omnium longe grauissimum est, quòd secum infinita trahit flagitia & morborum genera. Apoplexiæ, paralytes, comata, lethargi & similes frigida corporis affectiones ex vino licet calido nascuntur: deprauata siquidem in ebriis vini natura parit effectus contra suam ipsius naturam pugnantes. Vno igitur vtē-

dum, perinde ac si medicina esset analeptica, *Lib. 2*  
veluti docet Clemens Alexandrinus in suo pædagogo, quod etiam Apostolus suo Timotheo quondam consuluit. Vtere inquit, modico vino *1. Tim. 5*  
propter stomachum. Ante vini vsum homines plus centies & sexagies quāmodo viuebant. *Ex-*  
*giscimi*, ergo, &c. Vates consilium dat vini potoribus vt expergiscantur, neque ebrietati & commellationi amplius indulgeant, sed loco tibiae, *Rem. 6*  
citharæ, testudinis & tympani, quæ inter pocula constrepere solebant, lacrymentur, ingemiscant & vlulent: Nam æquum est & rationi consentaneum vt sicut sua membra exhiberant impudiciæ & iniquitati, in veræ, & non fictæ penitentiæ signum, ipsamet exhiberent iustitiæ in sanctificationem. Diabolicus serpens vati contraria diceret, vt pote, Ede, bibe, omnia ecclesiæ catholice stata ieiunia, solennesque cærimonias curare desine. Nullum ciborum delectum facias. Quod intrat per os non coinquinat hominem, &c. Post mortem nulla voluptas. *Matth. 15*  
Anacreuntis illud occinunt, Tumulum quid est quod vngas, Vel humo quod ebibenda Peritura dona fundas? Potius manente vita, Roseas meo corollas Capiti ferasque odores: Mihi & euoces amicam. Etenim priusquam ad orci Rapiar nigri choreas, Volo dissipare curas. Illud etiam quod scribitur Sap. 2. dicunt, Coronemus nos rosis antequam marcescant. Vno præciofo nos impleamus. At verò continget vel vt vinum cis adimatur, vel dicatur quod diuini

Luc. 12

epicureo, Hac nocte animam tuam à te reperent, nec amplius licebit per otium his frui delitiis, quas tanti feceras. Rationem addit vates ob quã expurgisci, flere & eiulare debeant. *Quoniam gens ascendit super terram meam robusta, strenua, fortis ac bellicosa, & absque numero. Sunt, qui temporis enallagen esse existiment, atque præteritum futuri vice poni, prophetarum more, ad rem futuram certiolem reddendam, ac si iam præterisset. Sine per præteritum, siue per futurum hunc textum interpretemur, hoc tamen certum est, vatem illã, quã parabolicã in principio suã narrationis dixerat, sigillatim per exegelin exponere. Dicit ergo, Gens omnium ferocissima & crudelissima, totã terrã vestram vastabit & depopulabitur, vt solent cicada, eruca, & locusta segetes & teneras herbusculas depasci. Quatuor reges Teglatphalasar Senacherib, Salmanasar, & Nabuchodonosor, quos per quatuor insectorum intelligere possumus, totam terram Israel annis septuaginta vastam reddiderunt: Vel quatuor monarchias accipiemus, à quibus Hebraei multa dura & graua miserè passi sunt ac pertulerunt. Has enim in quatuor feris præmonstrat Daniel, videlicet in leone, vrsu, pardo, & quarta bestia, quã ob insignem sauitiam atque ferociam anonimos effertur. Monarchiã siquidem istẽ non sine causã vermibus comparantur: quia profecto istis vermiculis debiliores & fragiliores extitissent, si Deo opt. maximo sanctè, piè ac religiosè seruisent Hebraei, & ad*

Dan. 7

meliorem aliquando frugem rediissent. Ad hæc vermes inter se iuncti, validiores sunt, quàm vt illis vlla industria resistere possimus, diuini vero & singuli debiles sunt & infirmi, facillimè franguntur: quibus hæretici similes esse videntur: Nam soli & separati (si principiis obstaremus) parum nocere possent; sed astute & blande principes permulcent atque alliciunt, & reipublicas fraudulenter quodam pietatis vel boni publici fuce tandem ad se trahunt, sicque ecclesiam qui vulpium instar ingressi fuerant, vt aper & immanis ac fera bellua deuastant ac depopulantur. Non enim silentio præterire debemus hinc Deum vocare terram suam, quam tamen cæteris gentibus alienis à religione, alta pace fruentibus, & in vtranque aurem dormientibus, diripiendam hostium furori tradidit. Hoc siquidem factò ostendit eos, qui legem & prophetas habent, & qui religione sacrosancta ad suas delicias abutuntur, multo seuerius infidelibus ipsis castigandos esse. *Demus ergo huiusce gentis, quam dominus Deus contra vos suscitabit, assimiles sunt leoninis: intimis ac molaribus suis, quiduis ipsa facile conficiet vt lebi, id est, leonum maximi, fortissimi & ferocissimi facere solent. Hæc deuastatura est vites meas, & ad nudum decorticabit ficus meas, ita vt decorticate inalbescant, & emoriantur rami earum. Paucis tragicè tamen si quo in alio loco insolentia, furor & rabies belli Babylonici describitur. Quod si plura quis desiderauerit, legat id quod habe-*

Psal. 79

tur 4. Reg. 24. & 25. Hierem. 39. Tantus enim fuit belli furor, vt nec regi, neque filiis ipsius, quibus ob nobilitatem multa condonari solent, parceretur. Quæ omnia huic Hebræorū populo miserè contigerunt, quia rex Sedechias, princeps sacerdotum, & vniuersus fere populus prophetas audire noluerunt. Vereor ne nobis, qui verbum Dei, septem ecclesiæ sacrosancta sacramenta, ritus & cerimonias impiè contēnimus, simile vel deterius contingat, & experiri cogamur post tot, tamque graues & seuos hereticorum incursum, illius crudelissimi & immanissimi Antichristi rucę dentes plusquam leoninos, qui vastitate immani, vineas nostras vt in gręcia funditus eradicet, ficus nostras & omnes arbores frugiferas decortice, spoliet atque denudet, vel (quod magis verendum est) vineam illam domini Sabaoth, id est ecclesiam catholicam religionis exercitio priuet, quod auertat Deus Opt. Max. cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

## HOMIL. III.

*Plange sicut virgo accincta sacco super virum puertatis suæ. Perit sacrificium & libatio de domo domini, luxerunt sacerdotes ministri domini. Depopulata est regio, luxit humus, quoniam deuastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum. Confusi sunt agricolę, vlulauerunt vinitores super frumento, vino & hordeo, quia perit messis agri. Vine confusa est, & ficus elanguit: malogranatum, & palma, & malus, & omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium à filiis hominum.*



**N**acerbis, crudelibus & exitiosis bellis, qualia ista fuere, quæ vates noster describit, in quibus fames tam magna exitit, vt homines sitis & famis rabie pressi, oleto vesci, & vrinam bibere coacti fuerint, nemo cuiuscumque conditionis, gradus & ordinis reperiri potuit, cui flendi & grauer conuerendi occasio data non fuerit: Nam vt in cunctis deliquerant, in cunctis quoque plectebantur. Vt autem planctum grauissimum & acerbissimum vates ostenderet, insignibus figuris sententiam exornat, quemadmodum in textus explanatione videre licebit. *Plange sicut virgo, &c.* Est ne dolor similis huic, quem de liberis parentes, & de amatis coniuges ferunt? in vtroque tamē muliebre genus excellit,

vt pote mollius, & ad tam graues dolores ferendos infirmius: vt igitur doloris acerbiteret magis ac magis exprimeret vates, populum exhortatur ad plangorem & lamentationem per omnia similem ei, qua virgo accincta sacco ob maritum adolescentiæ suæ, compita totius vrbis complere solet. Huius enim tam acerbi luctus variæ ac diuersæ causæ fuerunt. Nam aliqui bonorum direptiones conquerebantur, alij nobilitatem, iuuentutemque florentissimam prælio amissam deplorabant: qui vero pietatem piè sanctèque amplexabantur & religiosiores erant, cultum dei & religionis exercitium (sine quo vix ac ne vix quidem gens vlla diu consistere posset) extirpatum & quasi funditus euersum profuse luxerunt. Postquam igitur vates dixisset ebrios & temulentos de optimi vini amissione conquesturos, pios incitat ad luctum, non propter rerum suarum depopulationes (cùm dominus Deus illas nobis dederit, vt à ministris & villicis repetendas, quum ipsi placuerit) sed potius quia illos belli furor, pietatis & religionis exercitio omnino priuasset, ita vt nihil reliqui fecisset, quod Deo exercituum offerri potuisset, quo ecclesia Israelitica suam gratitudinem testaretur. *Plange* ergo sicut sponsa præcincta saccum in virum eius virginitatem. In belli ciuili Gallici principio remissiores equidem fuimus, quàm par esset, in cultu Dei defendendo, tuendo ac vlciscendo. Dicebant enim aliqui ne improbi quidem, Quid nostra refert de reli-

Luc. 16

gionis diffidiis. Episcopi sacerdotes & monachi illam protegāt, causam eius suscipiant, nos vero integri, quieti & otiosi bonis nostris fruemur: Hugnostici perduelles mitius nobiscum agunt, quàm Regis nostri milites: ipsi querunt duntaxat sacerdotes. At vero postquam (proh dolor) per Galliam nostram prope innumeros crudelissima morte affecerunt presbyteros & monachos sanctitate, pietate & religione celebres, ipsos denique reges, principes, nobiles & ciuitatum proceres, qui factiones eorum auersabantur, aperto Marte, vel dolo & fraude aggressi sunt; vt posteritati Gallica restabitur historia. Principiis igitur obstitisse debuimus, & in quo animo tulisse autam religionem nobis intuitibus pessum ille, & presbyteros nostros sic crudeliter excarnificatos esse. *Gal. 4* Pauli Apostoli auditores Galatæ (quos diuus Hieronymus Gallogrecos vocat) oculos suos quondam eruiissent pro ipsius vita saluteque tuenda. Romanæ mulieres Christianæ, piissimarum precum religiosa importunitate, Tyrannum vicerunt, ita vt ipse victus Liberium ciuitatis Romanæ primæ sedis Episcopum ab exilio reuocaret. Catholici in Africa temporibus persecutionis Vandalicæ suos presbiteros in exilium relegatos indemnatim sequi maluerunt, quàm sine ipsis vitam inter hereticos degere. Debuimus ergo saltè luxillè instar adolescentulæ pudicæ & castæ viduæ super amisso marito, floridæ suæ ætatis cultore, quæ omni ornatuposito saccum, vestesque lugubres induit.

Victor vti-  
censis.

Solēt enim, si dilectissimi sponsi vel amasij vehementer desideratis amplexibus ob præmaturam mortem frui non detur, fletus grauiſſimos, & eiularus acerbissimos adere, atque laccis & veste lugubri induta, triste funus maritorum suorum nondum matura ætate functorum grauiſſimè lugent. Nobis sane mortuos lugere concessum est, sed non vt cæteri, qui spem non habent.

2. *Theſ.* 4 Fletus enim sit modestus, vt & omnia alia, quæ in parentalibus ex more & ritu ecclesiastico seruari solent. Abraham fleuit super Sarra vxore mortua, quam comparato sepulcro honestè sepulturæ tradidit. Ioseph cum fratribus suis & Ægyptiorum nobilioribus, exequiis solēnibus & pompa suus Iacobi patris sui nō sine lacrymis prosecutus est: quinetiam suis mandauit, vt similiter ossa sua in idem paternum sepulcrum transferrent. Hos sane vetustissimos patres spe resurrectionis parcaſſe facile crederem. Iudas Machabæus, qui de resurrectione orthodoxe iudicabat, non solum contentus fuit, militum suorum pro religione & patria fortiter occumbentium iusta soluere, sed etiam misit 12. dracmas argēti Hierosolymam, vt illic pro mortuis offerretur. Duabus de causis veterem Christianorum ecclesiam pro defunctis obrulisse tradit his ipsis verbis Tertulianus, Vxor defuncto *Monogamia* viro, pro anima eius oret, & refrigerium adpostulet ei, & in prima resurrectione confortium; & offerat annuis diebus dormitionis eius. Procul ergo à nobis arceantur, qui vita functis ne-

gant exequias, Cynicos potius quàm aliorum humaniorum hominum sectam vllam redolentes. Nam Græci Achili & patroclo, vt & Troiani Hectori inferias fecerunt. Solon in legibus ( vt tra- *Diſtis cretè* dit Demosthenes ) & deus in oraculo mandat, vt *ſis de bello* cognati & affines mortuis inferias certis diebus *Triano.* exhibeant. Caius ( autore Suetonio ) sicubi clau- *Demosthenes* rorum virorum sepulcra cognosceret, inferias *oratione cõ-* manibus dabat. Taceo libamina, primitias, coro- *tra Mucar-* nas, ac recens decerptos flores, quibus homini- *tum. Sueto-* bus vita functis quadam resurrectionis spe pa- *nus in C* rent auit antiquitas. Nam nobis Christianis quid opus est his prophanis historiis; quando quidem primi Christiani viri religiosi curauerunt vnà Stephanum, feceruntque planctum magnum super eum. Diuus Cyprianus Episcop. & Martyr post Tert. magistrum suū, oblationis in exequiis fieri solitæ meminit. Damascenus cum tota Græca Ecclesia idem orthodoxe dõcuit. Taceo piuum Augustinum, qui istud passim scripsit. Liceat nobis igitur pro mortuis nostris offerre & exequias funeris fratrum nostrorum prosequi. Quum exemplo ab adolescentula viro defuncto iusta persolvente, ducto, vates ad pœnitentiam Iudeos compellat. Hac etiam imagine ostendit, qualis sit synagoge futurus status, quando ab illis propter impia vitia & nefaria scelera auferendus sponsus erat, simularque ipsi in manus hostium venerint. Meritò plan gere virginis sacco accinctę instar cogentur, qui surda aure transierant, quicquid à prophetis

de pœnitentia dicebatur. Non semel ac iterum catholici doctores imminentē caputibus nostris calamitatē prædixerunt, si Christū sponsum abnegantes, qui in Ecclesia catholica duntaxat pie colitur, doctrinas peregrinas amplecteremur. Sed illos recta mōnētes audire noluimus. Quid ergo nobis reliqui factum est, nisi fortem nostrum desleamus, cum succisum sit sacrificium & libamen de domo domini? Nisi enim dominus Deus clementissime nobiscum egisset, iam de Missæ sacrificio quod per חנוכה & libationem designatur, actum esset. & ugeamus Christiani auditores, & sacco amicti pœnitentiam in cinere & cilicio peragamus. Ecclesia sanè sepiissime in scripturis castę pudicęque sponse cōfertur, quę sponso suo fidem integram illibatāque seruare debet. *חן* propriè amasū significat, quę quidē significatio hoc in locō maximè congruit, quia amor quō legis populū Deus est prosecutus, simili fuit amorī ante nuptias, dum pultis tanquā puella nō dum nubilis adolesceret. Illa enim hīc etiā plorare iubetur, quod de sacrificiis & libationibus in ipsa domo domini actū esset. Vnde & ipsis sacerdotibus tēplique ministris meritō lugendum fuit. Nā sacrificia in lege antiqua non solum instituta fuerant, vt in ipsis pietas & religio exerceretur; & Christus pro peccatis nostris immolandus præmonstraretur, sed ipsorum etiā vt quædam pars in sacerdotum fortem, victum cultumque veniret: propterea lugendi duplicem causam habebant, tum libationibus

quia religionis exercitio, tū etiā ea parte, quę illis contingebat carituri erant. Neque enim vt alię tribus ex agro uiuebāt, sed solis ex decimis: itaque præ cæteris, famis incommoda sensuri erant, quoniam tam ingēs futura erat terrę sterilitas, vt nihil populus habuerit, quod Domino oblaturus aut libaturus esset. *Nam deuastabuntur agri.* & ugebit humus, atque vbiuis desolabitur, siquidem frumentum omnino deuastabitur, exsiccabitur mustum, oleum deperdetur. Hęc omnia ministerio templi necessaria erant, nimirum frumentum, vinum & oleum, quę etiā spiritu prophetico vsui ecclesię futura esse Dauid in Psalmis vaticinatus est: A fructu frumenti, vini & olei multiplicati sunt, nimirum fideles, qui pane & vino in sacris mēlæ domini mysteriis, & oleo in cooprandis ecclesię ministris, confirmatione, & extrema vnctione opus habent. Hinc Arnobius in Psal. Dedit dominus lætitiā in corde nostro, ab illo tempore, quo accepimus frumentum in corpore, vinum in sanguine, oleū in chrismate. Maximè verendum est, Christiani auditores, ne terrę nocentia, quę frequentius quam vnquam Gallia nostra à quindecim annis experta est, annonæ caritas, & belli rabies, quę deuastat omnia, sacramentorum cessationem futuram (quod Deus auertat) nobis præfagiant. Duo præcipuè ab ecclesia vtique curata sunt, siquidem vt pietas exerceretur, & ministri qui eā docebant cum pauperibus alerentur. Cū igitur neutri ob sterilitatē potuerint pii satisfacere

Ps. 4.

Arnob.

Psal. 9



merito luxerunt. *Luxit etiam humus, &c.* Quando terra fructibus abundat, gaudere, lætari, ridere per metaphoram dici solet, si verò incommodis tempestatibus, vel belli direptionibus sterilis, infrugifera, & omnino vacua appareat, flere, gemere & lugere. Non enim superuacanea & inutilis videri debet ista petitio, quæ ad fletum omnes prouocat: nam licet bonorum suorum depopulationes, & rerum suarum, quæ necessitati & voluptati seruibant, ablationem grauius ac dolentius lugerent, pecudumque more deflerent, non tamen conscientia malè anteactæ vitæ ducti, quod & in primis oportuit. *Erubescite ergo agricola*, pudeat vos vestri laboris, vosque vinitores ciulate super tritico, simul & hordeo: Nam messis agri peritura plane est, atque nulla futura. Sacerdotes & agricola vna cum vinitoribus, belli huiusce atrocissimi calamitatem flere iubentur: ij namque, (quos maximè tota hæc calamitas attingit) longè omnium incommoda referunt, quandoquidem bellum secum affert libertatem effrenem indomitamque, qua tandè aliquando improbi adducuntur, vt totam penitus contemnunt religionem. Quis ignorare potest, quot hæreticos, ne dicam, atheos, in Gallia (quæ sola quondam monstris caruit) Germania, Anglia, & Scotia, bellum hoc prodigiote ficta religionis specie procrearit? Quod si religionem hoc faciât milites, quæ illos docet, suis vt sint stipendiis contenti, non mirum si ita licentius impiè & crudeliter miserrimos agricolas

(qui à poëta quondam felices dicebantur) spoliarent, expilent atque diripiant: illo enim tempore, quo pietas & iustitia viguit, reges nostri Christianissimi militem, teste Gregorio Turonensi, morti adiudicabant, qui sceni faciem tantum furatus fuerat. O tæque quaterque felices tunc temporis agricolas, qui modo cum sacerdotibus lugere coguntur, ob religionis contemptum, ex quo solo cuncta mala nostra procedunt. Hinc vites exarescunt, & ficus arefactæ exciduntur. Exarescit inquam quocunque humanum palatum gaudet, aut quicquid oculos hominum afficitur que oblectat. Illi enim *ἀνασθηταί*, id est sine sensu videntur, qui hanc terræ sterilitatem esse diuini numinis iræ & vindictæ perhorrendam significationem non percipiunt, & nobis infligi propter scelera & flagitia nostra non agnoscunt. Quod si fame duntaxat & alimentorum inopiã vrgeremur, leuius id quidem malum esset, sed nusquam gentium tanta diuini verbi fames extitit. *Matthæo* Messis sane multa, sed operarij admodum pauci. Vnde maximè verendum, ne messis arefcat, vel tandem aliquando pereat, idque maximam agricolis erubescendi, flendi & vlulandi causam præbeat. *Erubescite agricola*, &c. Græci legunt *ἐξπαθήσαντες ἡσπυοί*, exsiccati sunt, contabuerunt, & erubuerunt agricola. Qui aliis præpositi sunt (quales

erant spirituales agricolæ, utpote sacerdotes) in maximis cladibus plus doloris patiuntur, quàm cæteri, qui priuatis tatummodo rebus dant operam: dicit ergo, Cõtauerunt agricolæ. Hebræi legunt יצוין per imperatium, id est pudorẽ vos afficite, erubescite ò agricolæ, quia perit omnis labor vester. Prophetæ enim, quibus dominus, ut & sacerdotibus vineam suam locauerat, multum laboris insumpserant, ut homines ad meliorem frugem reducerent, & sic obuiam irent tot futuris malis ac imminetibus, sed frustra laborarunt, atque hoc modo confusi sunt: Nam vinea aruit, & ficulnea succisa est, malogranatum, etiam & palma, & malus arbor, omnia ligna campi aruerunt: quia procul discessit gaudium à filiis hominum, & in confusionem versum est. Inter præcipuos enim spiritus fructus à Diuo Paulo Apostolo enumeratur gaudium. Vbi enim vera pax deest, ibi neque gaudium inueniri potest. Pacem igitur caelestem illam, quã mundus dare non potest, à Deo Opt. Max. assiduis orationibus deprecemur, ne gaudium illud spirituale à nobis omnino tollatur, & ut tandem aliquando proprio ac perenni beate ac feliciter frui per Christum possimus, cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

*Accingite vos & plangite sacerdotes, ululate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei: quoniam interit de domo Dei vestri sacrificium & libatio. Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate senes, omnes habitatores terra in domum domini Dei vestri, & clamate ad dominum a, a, a, dicit, quia prope est dies domini, & quasi vastitas à potente veniet.*



**SERUA** sinceræque. pœnitentia (quam ieiunium & preces comitari solent) acerbiores pœnas, quas dominus Deus minitatur hominibus, & maiora pericula vitare, & procul à nobis abigere sine dubio possumus. Illa enim ipsa Babylonium regem in regna, pristinamque dignitatem & splendorem restituit. Hanc, ut naufragi tabulas, celeriter arripiamus atque strictim amplexemur, *Dm. 4* ut peccatorum fluctibus & procellis tandiu iactati ac propè immergi, ad portum diuinæ clementiæ feliciter applicemus: Hoc nimirum est illud quod Vates constanter conuenienterque ecclesiam Iuda docet, maximè autem sacerdotes (quos antea agricolas & vinitores appellauerat) qui tum dignitatis tum exempli ratione cæteris præire debebant, ut ad illam tanquam ad munitissimam arcem, facerrimam anchoram, & tutissimum asylum confugiant. Accingimini fassis, festinate & plangite, vos ò sacerdotes. Quasi diceret, Sacco itaque induti vos sacerdotes, plangore & lamentatione cœtum complete:

& quicumque altari affidetis ac ministratis, ciu-  
latu commouete Dominum: Vos inquam, qui  
de sacratissimo altari uiuitis, qui que ministri  
Dei estis in his, quæ ad religionem spectant, pri-  
mi omnium de pœnitentia cogitate, & vestro  
exemplo ceteros allicite & excitate. Id enim quod  
Vates dixerat ministri Domini, lxx. paraphrastico  
enuntiauerunt οἱ λειτουργοὶ θυσιαστη-  
ρίων κτλ. Dicit ministri altaris, deinde ministri  
Dei mei, quia ministerium est in altari Deo, nec  
vnquam licuit sacrificium in altari offerre nisi  
soli Deo, sicuti passim docet magnus ille Augu-  
stinus, & præcipue aduersus Gentes in libris de  
ciuitate Dei; & Tom. 6. contra Faustum Ma-  
nichæum; cuius verba hîc recitare non graua-  
bor: Nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum;  
quæuis in memorias martyrum, altaria con-  
stituimus. Idem. Quæcunque adhibentur reli-  
giosorum obsequia in martyrum locis, adorna-  
menta sunt memoriarum, nō sacrificia mortuo-  
rum tanquam deorum. Non autem ista esse sa-  
cificia martyrum nouit, qui nouit vnum, quod  
Deo illic offertur sacrificium. Altaris Christia-  
norū, & illius, qui super altare offerebatur me-  
minit Apostolus, ex quo non habent ius edendi  
qui tabernaculo deseruiūt. Sed redeamus ad il-  
lud vnde diuertimus. Religionis enim antistites  
qui aut sua negligentia officium intermiserunt,  
aut male exemplo suos offenderunt, ad pœnitē-  
tiam primi sese accingant. Peccatum enim ipso-  
rum multiplex & varium est: nam in primis mā-

Lib. 20

Cap. 21.

contra Faust.

Lib. 5. de

ciuit. Dei

cap. 27

Heb. 13

datum Dei transgrediuntur, tum demum salutē  
eorum negligunt, quos deus illis commendatos  
fecerat, & quod omnium perniciosissimum est,  
ipsoꝝ pessimo exemplo simplices & idioteꝝ of-  
fenduntur, & audacius licentēque magis pecca-  
re pergunt: imo sunt aliqui expēdentes atque  
æstimantes fidē ex personis, qui ob Episcoporū  
& Sacerdotū vitia, Ecclesiam catholicam leuius  
æquo deserunt, quum Tertuliani cōsilio debea-  
mus potius personas fidei dignitate metiri, quā  
ex personis fidē. Quid ergo, inquit, si Episcopus,  
si Diaconus, si Vidua, si Virgo, si Doctor, si etiā  
martyr à regula lapsus fuerit, ideo hereses verita-  
tē videbuntur obtinere? ex personis probamus fi-  
dē, an ex fide personas? non dissimulabo interea,  
quod si vnquam opus fuerit ecclesiarū pastores  
& rectores inuitare & exhortari, vt ipsi pœnitē-  
tiam primi incipiant, modò sane operepretiū es-  
set, quando quidem suis symoniis, sacrarū rerum  
nundinationibus, & nefandis luxuriis vniuerso  
mūdo fermē offendiculo fuerunt, ita vt nō aliū-  
de suā traxissē originem tot sectarū & hereseon  
monstra videantur. Nōne tradidimus obliuioni  
quod Christus dicebat Apostolis, quorum suc-  
cessores esse gloriamur, Vos estis lux mundi, &  
sal terræ, quod dum infatuatum & insulsum est,  
omnino inutile ac plane reiiciendū, vt à quibus-  
uis conculcetur? Accingamus ergo nos saccis,  
pœnitentiam agamus in cinere & cilicio, ne  
que illos referamus, quos Dominus arguebat,  
quod onera grauiā, quæ portari non poterant,  
c iij

Lib. de  
Prescrip.

Matth. 5

Matth. 23

hominum humeris imponebant, quæ tamen ne digito quidem attingere volebant. Etenim quoniam deprauatis nostris moribus priores peccauimus, alios iam tandem antecedamus studiosis actionibus, vt & ipsi nostro exemplo cum fuerint castigati, Deus clemens & misericors bella ista ciuilia, quæ à sexdecim anis in Gallia passifumus, à nobis auertat, & vltra maria deportanda iubeat intergentes, quæ illum non agnouerunt. At verò pœnitentiæ methodum paucis intelligamus. *Incedimini, cubate in sacco ministri Dei, &c.* In hebræo habetur יָשָׁב id est pernoctate, Quasi d. ne noctu quidem auferte saccos, sed in villiaceroque vestitu permanere. Exuite non solum moles & delicatas, sed etiam preciosas & sacras illas, mysticasque vestes, quibus, in diebus solemnibus vti consueuistis, & alias lugubres, & pœnitentiæ accommodas induite. Cubate in sacco & sic pernoctate, vt præteritas delicias, quibus Deum offendistis, vitæ austeritate compenferis. Mos antiquissimus fuit pernoctare ac vigilare in tēplis, etiam apud Christianos, maxime, quo tempore persecutio quadam ecclesiæ impendebat, vel pridie alicuius solemnitatis, vt pote Paschæ, Natalis domini, memoriarumque Apostolorum ac martyrum. Hinc diem præcedentem istas solemnitates hæctenus vigiliam appellamus. Ex his sane vigiliis D. Hieronymus eiusque scholiastes contra Vigilantium primum Gallorum môstrum, lampades, cereos, facès & candelas, quas in templis accendere so-

lemus, vehementer etiam atque etiam tuetur ac defendit. In superiori Allobrogum Delphinatu, vbi aliquot annis concionatoris munere functus sum, vulgus vsque in hodiernum diem vocat candelas (quas simplicium hominum secularium, ac piarum mulierum peculiare existimat Hieronymus) votiuas, vigiles, eo quod illas antiquitus in vigiliis apud martyrum memorias, contra noctis obscuræ tenebras, adhibebant. Quod si vel Christianorum incuria, quibus in dies quæ plurima excidunt à pietate, vel ad obtutanda maleuolorum ora, (qui adulteria & nefandissimos incestus ecclesiæ exprobrabant) vigiliæ & pernoctationes istæ apud nos obseruari deserint, retinimus tamen hæctenus nomen, ita vt vochemus ieiunium, festum præcedens, vigiliam. Harum meminit vigiliarum Tertulianus quas cœtus antelucanos vocat: Plinius quoque iunior in ea epistola, quam ad Traianum scripsit de Christianis, Augustinus etiam sermone 78. de tempore in hæc verba prorumpens, Attentius rogo & admoneo vos fratres, vt ad vigilias maturius surgere studeatis. Ingrediamur igitur non interdium solum, sed noctu etiam, & in templum domini, & ad societatem luctus ineudam, præcipue dum vndiquaque nobis magna pericula immineant: Et quod maximum est, sacrificium cibarium adimitur, prohibita est à domo Dei nostri oblatio & libamen. Huic cibario sacrificio & libamini successerat mensæ dominicæ sacrificium, quod à temporibus Apostolorum per vaiuet-

*Mal. 1.* sum orbem iuxta Malachiaë vaticinium offerretur in Christianorum cœtibus, sed proh deū, in Scotia, Anglia & in præcipuis Germaniæ partibus nefariè intermittitur, cuius loco, exsiccatam atque aridam nescio quam cœnam (vel potius vino non aqua diluto contra traditionem Apostolicam, sed Germanico more madefactam) rudi popello, Curia Romanæ abusibus deluso & falcinato, non minus callide quàm impiè proponunt. Ergo lugendum foret propter huius sacrificii augustissimi intermissionem, & ex animo ad pœnitentiam publicam & solennem festinandum. Non illi profecto sunt audiendi, qui dicunt sacerdotes satis superque odio haberi, absque eo, quod ipsorum vitia concionatores catholici publicè insectentur: Nam Christus & Apostoli in hoc, cæterisque in rebus imitandi sunt, qui malis & larvatis pastoribus non pepercerunt, sed in publicis concionibus illos acerrime reprehenderunt, & grauissimis verbis coarguerunt. Sacerdotum siquidem interest alios sale sapientiæ condire, & idcirco cauendum est modis omnibus ne sal infatuetur, nam alia populus pro nihilo duceret, quæ ipsi sacerdotes indicerent, utpote ieiunia, carnis macerationem, ferias & preces, quarum hoc in loco vates ordine meminit, inquiens, *Sanctificate ieiunium, vocate cœtium, congregate senes, &c.* Si omne ieiunium Deo placeret, non utique diceret, Sanctificate ieiunium, ad quod celebrandum vult primum congregari senes, quorum

ætas morti magis vicina, maturiorque sententia, timorem & Dei cultum potius suscipit. Dū enim maxima quædam calamitas ecclesiæ iam adesse atque impendere videbatur, qualis erat ista, quam Ioel futuram nunciauit, sacerdotes decernebant ieiunium, & dies festos in supplicationum publicarum gratiam, ut sic Deum ad misericordiam orationibus assiduis flecterent, quorum quidē præceptis aduersari fas non erat.

Veruntamen diceret aliquis de Aristippi, Epicuri & Sardanapali grege, hoc seuerius esse, quàm par sit, & fatius esse unicuique liberum facere, ut ieiunet cum voluerit, & viderit sibi opus esse ad carnis rebellionem edomandam. Nos interim ex Ioel audimus Deum velle, ut sacerdotes ieiunia, & carnis mortificationem plus solito austeriore indicant ac præcipiant. Rex etiam Niniæ, Deum iratum sentiens, ieiunium vniuerso populo præcepit. *Ion. 3* Saul probe sciens iuxta parcemiam, crassum vētrem sensus tenues minimè gignere, toti exercitui ieiunium indixit: Quum vero contigisset Ionathan Saulis filium, regii decreti atque editi ignarum, ieiunium non obseruare, Rex ipsum morti adiudicare volebat, nisi populi, Ionathæ ignoratiam excusantis preces obstiterent. *1s Reg. 14* Quod si reges ieiunia sanxerint, quæ transgredi capitale fuit, quanto magis sacerdotes, quorum proprium munus est vocare ad pœnitentiā vniuersæ terræ incolas: ne igitur animo feramus iniquo, si in Gallia nostra tā seuerè animaduersum

*Epist. ad  
Philip.*

*1. Timot. 4*

*Gen. 2  
Act. 10*

fit, eo tēpore, quo pietas & iustitia apud nos viguit, in eos ventres pigros, qui ieiunia in contemp-  
tionem soluerunt, & præcipuè ea, quæ ab Apo-  
stolicis viris denūciata sunt & indicta, vt sancta  
quadagesimæ ieiunia. Cōstat enim illa ab Apo-  
stolicis sancita fuisse, vt in canonibus, quos ipsi  
ediderunt, videre licet, & à piis viris summo-  
pere commendata. Ignatius vir sane Apostolicus  
asserere non veretur sacrosanctam quadagesimam,  
Christi imitationem continere, quem Diuus Basilius,  
Hieronymus & Augustinus sunt secuti. Aliqui ( quorum  
ieiuniū, vt ait Hieronymus, saturitate & ebrietate  
deterius esse maxime vereor) fingunt ieiunia sibi  
cordi esse, ne totam veteris ecclesie disciplinam,  
insigni quadam nota & ignominia condemnare  
videantur, sed ciborum delectus vehemēter illis  
displicet, quasi Apostolus hanc doctrinam  
dæmoniorum esse docuisset, & non Christi  
creaturam omnem per verbum & orationem  
sanctificantis, quæ quidem bona est, dum  
modo cum gratiarum actione percipiatur:  
quibus respondere & paucis, ne à textu  
longe digrediar, animus gestit. Si delectus  
ciborum, peregrinam doctrinam & demoniacam  
oleret, sequeretur legem veterem ( quā  
damnare Manicheū est) non à Deo proficisci,  
sed quodam cacodæmone: Nā absque eo  
quod Deus primis parentibus ligni scientiæ  
boni & mali esum prohibuit, lex diuersa  
tum carniū, tum etiam piscium genera  
vetat, à quibus D. Petrus abstinebat  
donec in visione ostenderetur illi, ea non esse

communia & immunda, quæ deus ipse sanctificauerat. Quo perspecto nihilominus ipse cum  
Apostolis & presbyteris sanxerunt, ne quis sanguine & suffocato vesceretur, quibus Tertuliani etiam etate nondum Christiani utebantur, vt  
ex Apologetico constat. Ciborum ergo quorundam abstinentia, vt mens ad pietatis cultum reddatur  
exercitior, & caro inedia tormentis atque suppliciiis puniatur (verba sunt & canonum  
Apostolorum & domini Tertuliani, quibus lubens vtor) doctrina vera est, sincera & Apostolica,  
ia sacris literis maxime commendata, vt Re- chabitarum & Ioannis Baptista viuendi mos caeteris  
austerior apud viros cordatos fidem faciet. Quem quidem morem tantum abest Apostolus  
reprehenderit, vt neque sacrorum ieiuniorum temporibus Christianam abstinentiam, quum  
potius ( D. Hieronymo & Augustino interpretibus ) Tatianistas, Manicheos, Marcionistas,  
& cæteras id genus pestes in ecclesia futuras aculat & damnat, quippe qui creaturas quasdam,  
ac si essent à diabolo conditæ, omnino respuebant. Cùm ecclesia verò cōstanter docuerit omnem  
creaturam & Dei esse, & bonam, qua etiam indiscriminatim, aliis temporibus à ieiunio, vesci  
licet. Vt autem res ista clarior & manifestior appareat, paucis audiamus, quidnam de ciborum  
delectu verus Ecclesia senserit. Clemens Romanus scribit in more Christianis fuisse à carnibus  
& vino, ieiuniorum diebus abstinere. Tertulianus aduersus Psychicos *χερσαγίας*, ieiunij

*Act. 15*

*Hier. 35*

*Mat. 3*

*Marc. 1*

*Clemens lib. 5*

*Const. Apo.*

*cap. 19*

tempore fuisse obseruatas asserit. Origenes lib. 3. in Iob. Cùm ieiunamus, inquit, carnibus non vescimur. Manichei apud diuum Augustinum illam carnium abstinentiam, per vniuersam Ecclesiam, quadragesimæ diebus obseruatam, vt suam falsam & simulatam religionem ruerentur, obliciebant. Hospes Spiridionis apud Nicephorum, etiam si penuria, charitas & bona conscientia à ciborum delectu excusaret, succidia vesci, magni quadragesimæ ieiunij tempore constanter detrectauit, Christianum se esse dicens, neque huiusmodi esca indigere confirmans. Quis post tot locupletissimos testes, tantillum subdubitare deberet, ciborum delectum Christianos obseruasse ieiuniorum diebus, nõ vt supersticiosi Manichæi, sed vt carnem rebellem & ferocientem, ciborum delicatorum subtractione, spiritui obedientem & obsequentem omnino redderent? Sanctificemus ergo ieiunium prophetae consilio, & conuocemus cœtum. Nollem interea huiusce tempestatis ieiunia ita extolere, quin fatear hominum malitia, multos irrepsisse abusus, quos verbo Dei corrigere possumus, & non funditus id quod à Deo Opt. Max. institutum delere. Audiamus imprimis Isaiam falso ieiunantes arguentem, & secundum normam, quam præfigit, ieiunia nostra formemus. Ecce, inquit, in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros reperitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & impie percutitis pugno adiudicatum. Nunquid tale est ieiunium,

Niceph.  
lib. 5  
cap. 42.

Esai. 58

quod elegi? Non enim Deo gratum est & acceptum ieiunium, nisi in charitate fiat, & in ipsius mandatorum obseruatione. Christus dominus apud Matthæum, hypocrisim ieiunantium accusat, simul docens quonam pacto sit ieiunandum, non quidem vt hominibus gloriam venemur, sed vt à Deo mercedem abundè magnam in cælis repositam expectemus. *Sanctificate ieiunium*, id est, eo ieiunium institute, vt sancti sitis. Sunt qui valetudinis recuperandæ gratia ieiunant: alij verò, vt suæ inexplebili auaritiæ student. Veruntamen ieiunium indicere debent sacerdotes, vt plebs sancta sit. Christus veri & synceri ieiunij vim & efficientiam ostendens, dicebat esse quoddam dæmoniorum genus, quod eiici non poterat, nisi ieiunio & oratione. In ieiuniis publicis conuocandum esse cœtum docet Vates, vt multiplicatis intercessoribus, facilius preces charitate sic inter se nexæ exaudiantur. Impossibile est, ait Hieronymus, multorum preces non exaudiri. Propterea neminem ab hac *Hier. incap. 18. Mat.* pœnitentia publica & litanis eximit. *Congregate senes*, inquit, i. principes & magistratus, vt sese humilient corâ manu potenti Dei, sicut rex Niniue cùm principibus suis. Sicut enim primi peccauerunt, sic præcedant alios in agenda pœnitentiâ, quos sequi oportet omnes habitatores terræ, vt simul ingressi in domû domini, (de qua erat promissio ibi exaudiendas ipsorum preces) clament ad dominum. *Ab propter diem, quia propinquus est dies domini, & sicut visitas ab omnipotente veniet, &c. 2. Pet. 7.*

Math. 6

Hier. incap.  
18. Mat.

Ion. 3.

Ne quis diceret mentis oratione sufficere, præscribit Vates precationis verbalis formulam, qua Deum implorent, & ei exponant suam calamitatem. Ah propter diem, &c. Quamuis præstolemur diem illum, quo Christus dominus viuos & mortuos iudicaturus est, piis quidem lærum, impiis verò tremendum & horribilem, quem diem domini scriptura solet appellare, omnium tamen dies, quo Deus iudicium exerit in sceleratos, domini dicitur, vt is in quo decem tribus, & paulo post reliquæ duæ captiuæ ab Assyriis & Chaldeis ductæ sunt. Cùm enim deus longanimis & tardus irasci, mortalium peccata diffimulat, eosque pro arbitrio viuere sinat, videntur ipsi Deum superasse & suos agere dies, cùm verò vastat omnia, fruges, pecora, homines, denique totam terram ipsam, Dei scelerum vindicis dies non obscure apparet, vt is, qui cum maxima & maximè terribili vastatione & calamitate venturus à Vate prænunciatur, vt ipso die paucifaci regni Iuda viri respiscerent, & Deum qui tot modis ad meliorem frugem reuocabat, summè colerent ac reuererentur: cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

HOMIL. V.

*Nunquid non coram oculis nostris alimenta perierunt de domo Dei nostri, gaudium & letitia? computruerunt iumenta in stercore suo, demolitæ sunt horrea, dissipatæ sunt apotheca: quoniam confusum est triticum. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti: quia non sunt persuis eis: sed & greges pecorum disperierunt. Ad te domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis. Sed & bestia agri quæ si arena sitiens imbrem, suspexerunt ad te: quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, & ignis deuorauit speciosa deserti.*

**V**nde tantus hominum stupor, quænam illos tanta dementia cepit, vt nõ agnoscant remedia & alleuamenta, quæ Deus instituit, qualia sunt pœnitentia, ieiunium & oratio? Pantheræ remediũ contra venenatam carnem sibi adhibent, quocum sint usæ, non moriuntur. Færæ in Creta venenatis sagittis confixæ dictamno sagittas euellere dicuntur è corpore. Ceruæ paulo ante partum perpurgant se quadam herbula, quæ felis dicitur, vt partus dolores leniant. Pul- Psal. 140  
li etiam coruini teneri ac imbecilles, prædæ querendæ impotes è nidulis suis ad Deum opt. Max. clamant, & vt ad summum medicum recurrunt, à natura omnium parente duntaxat edocti: nos verò in peccatis nostris grauius & altè stertimus, atque ita stupidi & bardi sumus, vt nullam medicinam adhi-



beamus, imo verò sapè medicamenta salutaria insolenter respicimus. Quapropter carius penè dimidio, vel toto potius ememus in die domini, quàm si pœnitentia, ieiunio, & orationibus diem illam præuenissemus, vt noster Vates ecclesiam Iudæ docet. Nonne nobis præ oculis nostris victus deperit? O qualem diem vobis pœnitere nesciis! ô quàm horribilem atque pertimescendum! Dum peccata vestra dissimulabat, & in illa animaduertere cunctabatur, illum non esse, vel saltem hæc mortalia non curare censebatis, & idcirco vniuersa pietatis exercitia anilem quandam superstitionem impudenter apud vosmetipsos taciti cogitabatis, & aliquando in vulgus spargebatis: sed dies domini irruet super vos tanquam ea vastitas, quæ à potente & victore facienda est. Ne igitur securi torpeatis in sceleribus vestris, neque dei bonitate, clementia & longanimitate amplius abutemini, nam prope diem de vobis, ac de suis hostibus triumphantem sentietis. Cùm enim potens aliquis monarcha plusquàm satis opus fuit, alicuius gentis peruicacitatem, rebellionem & defectionem tulerit, diem indicit ac significat, quo aciem instruit ad gentem illam debellandam, & funditus extirpandam, qualis apud Gallos nostra contigit atate dies D. Laurentij vel Bartholomei, sed iste cuius vates meminit, erit dies domini. Si autem aliqua vana spe, vt pote Ægyptiorum scedere tenemini, quominus pœniten-

tiam, preces, & ieiunia diligatis, ametis & amplectamini, considerate apud vos ipsos iræ dei vicinæ prodromos & præambulones. Nonne vobis coram intuentibus periit omnino terræ prouentus, ita vt desierit gaudium & exultatio fieri solita in domo domini? Hæc verbi Dei famem Vates præcipuè intelligit, vbi omnis perit animorum consolatio: & id maxime deplorandum est, dum loco verbi Dei, falsæ & adulteræ proponuntur doctrinæ. Ad hæc Iudæi profectò in festis diebus celeberrimis & sanctissimis lætitia exultare solebant, tum quòd huiusmodi festa illos præteritorum beneficiorum veluti liberationis Ægyptiæ admonebant, tum quia Messiam venturum annūciabant, qui suo iucundissimo aduentu maximam ipsis afferret lætitiā, à morte & peccati seruitute eos liberaturus. Lætitia messis (quo tempore sacrificia offerebantur) apud Esaiam maxime *Esai. 9* commendatur. In signum quoque effusi gaudij, ipsis solemnibus diebus epulabantur splendide in templo corā domino, & epularum suarum socios & participes faciebant pauperes, maxima erga illos liberalitate & beneficentia humaniter vtentes. In illa verò tanta rerum omnium penuria, non erat quod super altare poneretur, nedum quod in epulis & pauperibus recreandis absumeretur: non poterant tamen ad pœnitentiam amplectendam trahi, propterea ad *אַבְרָהָם* & exaggerationem illos interrogatione vrget. *Nonne coram oculis vestris alimenta*  
d ij

perierunt? Ira Dei ad templum usque grassabatur, omnes igitur eam animaduertere poterant. In Ecclesia veteri Christiana in festis diebus celeberrimis, ut modo de Iudæis dicebamus, conuiuia etiam celebrabantur, quæ græci vocabant *ἀγάπαι*, Gallicè dicimus *charité*, cum quibus panis qui diebus dominicis apud nos benedicitur & distribuitur aliquid affinitatis habere videtur: Horum enim Tertulianus. Diuus Augustinus & Constitutiones Apostolicæ meminerunt. Cùm verò Corinthij illi epulis & conuiujs per suam ebrietatem, illiberalitatem & immisericordiã in pauperes licentius abuterentur, & huiusmodi agapas cùm sacrosancta domini mensa confunderent, coactus fuit Apostolus illos compellere ad primam huius augustissimi sacramenti institutionem, quod galtrimargia & ingluuie non sic profanatum oportuit. At pro Deum, qualem modo possumus in domo domini percipere lætitiã & voluptatem, cùm non tantum videamus incruentam illam corporis Christi oblationem demonibus quidem ut hæreticis horrendam, Christianis verò piis & catholicis gratissimam ac lætissimam, vi manûque armata è templis nostris penitus auferri, (quod parum tamen non est) sed etiam altaria & templa ipsa per impios funditus eueri? Quod si etiam nobis contigerit celebranda aliqua solemnitas, in qua gaudere in domino modeste solebamus, nihil audimus præter classicum & arma vel ciuita-

1. Cor. II

tem aliquam Hugnosticorum fraudè, insidiis & malo dolo circumuentam fuisse, ciuitatis optimas in puteorum profundum cùm ecclesiasticis suis detrufos fuisse, & infirmita prope alia crudelitatis hugnosticæ monstrosa exempla, ut merito conqueramur gaudium & lætitiã excisa fuisse de domo domini. Ex his discere possemus peccatorum nostrorum atrocitatem tantam esse, ut Deus in eorum vindictam rebus etiam sacris non parcat, quæ quidem ad pœnitentiam seriam nos excitare deberent, sed contrà ut Iudæi videmur in peccatis nostris occaluisse, quos Vates monere & excitare conatur exemplo à rebus intelligentiæ & rationis expertibus ducto. *Computruerunt*, inquit, *iumenta in st. rore suo*, straminis defectu, vel sicut noua versio latina habet, *Computruerunt semina dispersa subter Clebas suas*: ac si diceret, ne spe vlla mellis future aliquid melius in posterum vobis polliceamini, quia semina, quæ humo condita sunt corrumpentur & putrescent sub ipsis agrorum glebis, nec progerminabunt. Propterea non erit qui horrea instauret, postquam ab hostibus diruta fuerint, quando frumentum & annona omnis exarescet penuria imbrium, qui non supernè descendunt. Hi: obseruandum est, quid illos maneat, qui intemperantia, gula, auaritia & crudelitate in pauperes, Dei bonis abutuntur, quales fuerunt Iudæi, sicut illis propheta multoties obiiciit.

d iij

ipsi tandem esuriunt, sitiunt, & fortunæ ipsorum, quas pauperibus erogare contempserant, à milite seuo & impio diuipiuntur. Donis ergo Dei temperanter utamur, & beneficentiæ in egenos, quâtum fieri poterit studeamus, si nobis & fortunis nostris consultum iri velimus. Mira sane res est, Christiani auditores, homines ad eò esse nunc stupidos & attonitos in peccatis suis, ut iram Dei non animaduertant, ubi tam miserè gemunt animalia, vehementerque suspirant: perplexi sunt armenti greges famelici, qui quò se vertant, nesciunt, quia non sunt eis pascua. Sed & greges pecorù, ut sunt oues, capellæ, & agni potentes conscendere montes & colles, quod boues non possunt, præ pabuli etiam inopia disperibunt. Pudeat nos torporis nostri, & brutorum saltem exemplo, Deum ob peccata nobis infensum agnoscamus, atque cum propheta ad Deum clamemus. Exhortationi enim ad pœnitentiam, orationem miris affectibus plenâ ac satis prolixam subiungit, ut nescio quorum ora, prudens sciensque occluderet, qui oratione vocalem superuacuam existimant, quòd corda Dominus Deus inspiciat. Christus prophetarum omnium caput ter rogauit in agone, qui que in vltima cœna prolixam & verbosam orationem pro se suâque Ecclesia instituit, suæ interea prohibitioni non aduersatus, quæ in oratione multiloquium damnat. Nam ibi infidelitatem arguit, qua infideles putant Deum non flecti, nisi longa incitetur oratione, vel quasi ipse non in-

*Matth. 26.*  
*Ioan. 17.*

*Matth. 6.*

relligat, aut non sua sponte velit exaudire. Quæ omnia apud nos imprimis certa esse debent.

Quamuis enim Ioel videret eos, qui suæ fidei committebantur ita præfractos, ut stupiditate sua & torpore bestias etiam superare viderentur, non desinit tamen & illos omnibus modis exhortari, atque pro illis preces assiduè fundere. In hoc Mosem imitatus, qui pro Israelitis *Exod. 32.* orare non desinit, licet in eadem vitia toties relaberentur. Samuelem idè fecisse legimus, etiâ *1. Reg. 8.* si Dominus ipsi dixisset, non te reiecerunt, sed me, ne regnè super eos. Apostolus quoque pro *Rom. 9.* gèntis suæ nocte & interdium precabatur dominum, licet non grauiores hostes haberet. Discât igitur antistites de grege sibi commisso semper bene sperare, atque pro ipso continenter orare, nisi speciali quodâ modo & reuelatione prohiberetur. Non enim facillè est iudicare, quinam in Spiritum sanctum peccent. *Ad te Iehona ergo inquit propheta, clamabo. &c.* Perinde ac si diceret, Euiâsi videam populum istum magis stupidum & bardum, quàm pecudes ipsas, omnes prophetarum exhortationes spernere, reicere & pro nihilo ducere, ego tamen ad te Domine clamitabo, è cuius manu sentio omnes istas calamitates proficisci: ad te inquam recta ibo, qui solus huic nostræ Reipublicæ miserè labenti succurrere potes. Ex his quoque colligere licet pios prophetas, harum publicarum calamitarum non omnino expertes esse, ut videlicet iisdè probentur & corrigantur, quâdo quidem nullus ad eò

*Matth. 6.* sanctus est, quin habeat dicere, Dimitte nobis debita nostra. A domino inquit apostolus corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

*1. Cor. 11.* D. Augustinus contra epistolam Manichei, cap. 1. auream quidem sententiam habet, Apostoli doctrinam maxime accommodam, quam hic recedere non grauabor: Quicquid diuinitus ante ultimum illud iudicium vindicatur, siue per improbos, siue per iustos, siue per nescientes, siue per scientes, siue occulte, siue palam, non ad interitum hominum, sed ad medicinam valere credendum est. Alio etiam in loco dicit, Domine hinc vire, hic seca, ut in futuro seculo parcas. Legimus sanctissimos, Deo permittente, maximis angustis quondam pressos fuisse. Elias in huiusmodi constitutus ætumnis, clamat ad Deum. Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, &c. Tobias, Expedi mihi mori magis, quam viuere.

*Tob. 3.* David, Heu, quia incolatus mihi prolongatus est. Et Paulus, Summe grauati sumus supra vires, ut taderet nos viuere. Iob, Tædet animam meam vita mea. Illæ verò tribulationes & angustia effecerunt, ut sancti ad Dominum accelerarent, qui non sinit suos sub cruce pati plusquam perferre possint, sed præstat etiam vna cunctatione felicem exitum. Quod probe tenens vates ad Deum clamat, qui omnes ad se inuitat in Christo, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Clamauerunt iusti, inquit David, & Dominus exaudivit eos: Atque de seipso dicebat, Ad Dominum

*3. Reg. 19.*

*Psal. 119.*

*2. Cor. 1.*

*Iob 10.*

*Psal. 15.*

*1. Cor. 10.*

*Matth. 11.*

*Psal. 33.*

*Psal. 119.*

cum tribularer, clamaui, & exaudivit me, Ad te ergo clamabo Iehoua, ait Vates, quia ignis, &c. Aliqui in rebus desperatis clamant, quia ventri & voluptatibus affueris facultates, opes & copiam non suppetunt: sed Vates ad diuinum confugit auxilium, populi sui vices dolens. Nam charitas non sua quærens, illum vrgebat, ut membris eiusdem corporis mystici humaniter compareretur. Quis enim non maximo dolore affectus fuisset, videns etiam ignem comedisse speciosa campi pascua, & flammam omnes, quæ in agro sunt, cultas & incultas arbores adussisse? Superioribus annis varia insectorum genera fruges consumpserat, sed iam hostilis ignis omnia diripuit & inflammavit. Nihil remansit integrum, ab hoste vastata sunt omnia. Apra, certè & satis accommoda figura bellum incendio comparat: Nam ut ignis, sic bellum omnia tollit ornamenta, & vastitatem informem relinquit. Quemadmodum enim ager suam varietatem habet, sic ecclesiam, in scripturis agro comparata sunt varij ordines: vnde à Psalmista regina stans à dextris regis circumdata varietate appellatur, quæ & per Iosephi multorum colorum tunicam mystice olim designata fuit. Sed proh Deum, modo hereticorum rabies ciuilibus bellis perauerta & confirmata, vniuersum hunc ordinem, modum & rationem interuertit & perturbat, quod sane Tertulianus suæ ætatis hæreticis, à quibus nostrates ne latum quidem vnguem discedunt, his verbis exprobrat. Non omnittam ipsius etiam conuersationis hæ-

*1. Cor. 13.*

*Psal. 44.*

*Gen. 37.*

reticæ descriptionem, quàm futilis, quàm terrena, quàm humana sit, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, vt fidei suæ congruens: In primis quis Catechumenus, quis fidelis, incertum est: Ipsæ mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere exorcismos agere, curationes repromittere, forsitam & tingere. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes: nunc neophitos conlocant, nunc seculo obstrictos, nunc apostatas nostros, vt gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur, quàm in castris rebellium, vbi ipsum esse illic, promereri est. Itaque alius hodie Episcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras lector: hodie Presbyter, qui cras laicus: Nam & laicis sacerdotalia munera iniungunt. Hæc hæctenus. Quum igitur sic perturbatum nunc ordinem conspiciamus, merito apud Dominum conquerimur hæreticorum hostilem ignem, Ecclesiæ campi speciosa deuorasse. Non sane contenti fuerunt ea, quæ in Ecclesia erant speciosa & præstâtissima maximè sacra, sacræ commédata rapuisse, atque prædatos esse, sed etiam pastorum habitacula, & ouium caulas (כאן omnia ista significat) nimirum Episcoporum & Parochorum domos & pulcherrima Galliæ templa ignibus & flammis deuouerunt. Clamemus ergo cum propheta ad Dominum. Non profecto cuiquàm mirum videri debet si Vates ita clamauerit: Nā & bestix etiam syluestres, quæ hostium furori

non sic patent, vt armenti greges, clamant ad Dominum, rugiunt, glocitant, barriunt & vllulant, quippe quæ exsiccatis aquarum riuis, & igne adustis deserti pascuis, siti ac fame pereunt. Similes in scripturis phrasas reperimus, videlicet terrā (interpretatur Hieronimus חֶרֶב, quasi area, gallicè *quarreau*, sitiens imbrem. Aquila vertit *ερησώθη*), cum præ siccitate hiat, clamare ad Dominum, & pullos cornuorum è nidulis suis crocitantium inuocare nomen Domini, cum quibusdam indiciis ostendunt se favore & auxilio diuino indigere. In quo quidem consideranda venit diuina prouidentia, quæ cum vsque ad atticulas, & hortorum areas sese extendat, pluris nos precioso sanguine filij sui redemptos, dummodo respiscamus, faciet: cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

*Psal. 140.*



*Canite tuba in Sion, ululate in monte sancto meo, cœ-  
rurentur omnes habitatores terræ: quia venit dies Do-  
mini, quia prope est dies tenebrarum & caliginis, dies  
nubis & turbidis; quasi mane expansum super montes  
populus multus & fortis: similis ei non fuit, à princi-  
pio, & post eum non erit vsque in annos generationis  
& generationis.*

Act. 18.

**E**t si Apostolo Paulo non multū pro-  
fecisse videretur apud Corinthum  
Euangelij prædicatione, ita vt illinc  
exire tētarēt, nisi ipsi reuelatum fuisset  
diuinitus illic manere; quia populus adhuc  
multus per verbum Dei erat in Christum cre-  
diturus, noluit tamē Dominus Deus vt ille suū  
intermitteret officium, sed id quod antè cœpe-  
rat, constanter agere perseveraret: Sic quoque  
noster Ioel, qui tamen nihil fere, aut admodū  
paululum sua priori concione apud hunc po-  
pulum stupidum & bardum profecisset ac va-  
luisset, nihilominus nō desit ista altera ad pœ-  
nitētiā iterum vocare, bellici furoris expres-  
sam imaginem coram omnium oculis propo-  
nens, qui pœnitere nescios, ineuitabili quo-  
dam fato manebat. Huius autem secundæ con-  
cionis tale fuit exordium.

*Canite tuba in Sion, &c.* Antiquitus in synago-  
ga tubis clangere solebant, vt ad cōcionem po-  
pulum vocarent, quò respiciens Christus dice-

bar, Cū facis eleemosynam ne cures buccina  
cani vel buccinandum coram te. Tubis olim  
fiebat, quod campanis hodie fit in Ecclesia.  
Merini tempore famis pauperes campanæ  
pulsu ad eleemosynam conuocari (quæ veteres  
ἀγωνα, redolere videbatur) dum monachi &  
non commendatarij vel potius commestores,  
monasteriis præficiiebantur. Res sane utilis &  
admodum necessaria ad populum conuocan-  
dum tum ad stas preces, tum ad audiendum  
verbum Dei, & vt sacrosanctis mysteriis simul  
interesse possimus. Nescio sane quale sibi no-  
men suis immanibus moribus prætere vō-  
luerint noui nostri (si Deo placet) religionis  
extraordinarij instauratores, cū per omnem  
fere Galliam templorum campanas, turcicam  
in hoc barbariem & superstitionem imitati,  
audacia plusquàm cyclopica confregerunt, &  
tormēta bellica & alias machinas conflauerūt,  
vbi Prophetæ prænūciarant gladios & id genus  
armorum, in vomeres & falces cōuertēdos esse.  
Quid enim conuenientiæ, & allusionis cam-  
panarum cum istis belli tormentis & fulguri-  
bus? His inuentis diabolicis belli & discordia-  
rum instrumentis homines sese confodiunt,  
enecant, trucidant, campanis verò ad vnio-  
nem & pacem conuocamur, vt qui videlicet  
in vnum signo dato conuenimus, eiusdem ver-  
bi & sacramentorum participes pacem inter  
nos ipsos, & cum omnibus si fieri potest, ha-  
beamus. Sed tale est extraordinarium nouum

scilicet Ecclesiæ restituendę genus. Longę profectò campanarum, & tubarum vsus, quarum Vates meminit, alius est ab Hugnosticorum bombardis, vt in differendo latius videbimus.

*Canite tuba in Sion, &c.* Non solum iubet tubis clangere, sed etiam tarantarizare & classicum canere in monte, Deo sancto & consecrato: parum fuisset clangere tubis, sed simul necessum fuit, vt Propheta, vel qui ministerio publico in Ecclesia fungebatur, vocem suam attoleret instar præconis, qui classicum canit vt ad arma spiritalia populum inertem, in medijs vitijs atrè obdormilcentem & consopitum excitaret. Illud est quod Deus per Esaiam facere præcepit: Clama, ne cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum: quo respexisse Paulus videtur, cum dicit, Prædica verbum, instat opportunè & importunè, argue, obsecra, increpa, &c. In veteri & primaria Ecclesia illud cum summa diligentia curatum fuit, vt tales præficerentur, qui buccinæ verbi Dei clangore populum ad pietatem concitarent, quo vsque campanarum multitudine & organorum (quorum vsus temperatum & moderatum probamus) & efeminatorum musicorum delectati & contenti, vfos probos & doctos ab Ecclesiæ munijs & functionibus longè arcuissimus, & in eorum locum improbos, indoctos, & laruatos nescio quos sacerdotes, contra bonum & æquum suffecissimus, qui peius cane & angue, vt prouer-

*Esai. 55*

*2. Timot. 4*

bio fertur, si quem probum & doctum fortuito secum habeant, oderunt. Aduersus huiusmodi fortiter instar tubę clamauerunt propheta in monte sancto, id est in templo Hierosolymitano, quod & sanctum appellatur, (etiam si spelunca latronū esset) ed quod purus Dei cultus in vnitae fidei hoc in loco exerceretur qui Christum sanctū sanctorū typicè demonstrabat.

Huc accedit, quod populus existimabat loci sanctitatem eos seruare posse, non obstantibus & impredientibus ipsorum prauis moribus, voluit Deus vt Vates templi sanctitatem nominaret, & illic classicum caneret, bellum breui venturum denunciens, quod & templum funditus euerteret, & gentem in longum exilium relegaret. Tunc nihil illis proderit, quod Prophetis sepius obiicere solebant, templum domini, templum domini. Nemini dubium esse debet Prophetā ostendere velle quid difficile & arduum huic populo impendere, quando quidem tubis clangere, imo & altissime personare in monte sancto Dei iubet: Nam in castris militaribus, si hostes sentiuntur proximi, imperatoris iussu præcones solent ære cire viros, Martemque accendere cantu, vt vnusquisque armis indutus in sua statione firmus remaneat. Ad hæc cum buccinæ vox percipitur, omnes citò accurrunt, vt quid noui indicatur ac significetur, probè intelligant. Cum ergo ita sit, vt talia in Sione fieri debent, populus attentius audire debet quid Propheta dicere velit.

*Hier. 7*

*Conturbentur*, inquit, & *contremiscant omnes incolae terrae*. Res ardua & admodum difficilis est ad poenitentiam concitare eos, qui in peccatis suis securi obdormiunt, idcirco Prophetæ coguntur identidem & crebrò idem repetere, vt timorem atque terrorem tandem aliquando suis auditoribus nimium securis incutiant. Omnes terram sanctam incolentes Ioel compellat, vt horreat & contremiscat, quia omnes à minimo ad maximum vsque irâ Dei acerbissimam in sese concitauerant. Olim piissimi reges æquo animo rulerunt Prophetarum & Doctorum castigationes atque obiurgationes, vt de Dauide, Ezechia & Theodosio constat, qui omnes alios pietate & iustitia longe præcelluerunt, atque ob id maximis encomiis in sacra scriptura & veteri historia celebrantur.

Aniraduertendum interea Dei bonitatem & affectum paternum, quippè qui verbis prius nos castigat & obiurgat quam verberibus, vt qui timore filiorum ducuntur sese corrigant, & castigati poenas impendentes effugiant. Quod si contigerit malorum numerum excedere, & eorum malitia Deum compelli, vt de ipsis supplicium sumat, boni tamen id consolationis referet, vt Deum prouidum esse agnoscant, nihilque in hoc inferiori mundo fieri sine ipsius nutu & prouidentia, qui in fornace aurum coruscans probat, paleam verò penitus consumit. Rationem autem quare horrere &

con-

contremiscere omnes terræ sanctæ incolæ debeant, Vates assignat, nimirum quia dies Domini adest, & quidem prope admodum, qui illustrabit & reuelabit quæ quondam obscura & abscondita fuerunt. Cum enim reus percipit diem, quo iudicandus est, proximum, totus horrescit, etiam si aliquando audax ac proteruus extiterit, quanto magis ergo nos ipsi qui coram Deo toti rei, nihil nisi nequitia fumus, timere maximum diem illum tenebrosum & tristi caligine-obductum, hunc diem inquam nubilum & horrendè obscurum perhorrescere debemus? Præueniendus igitur erat dies ille, poenitentia nimirum, beneficentia & aliis bonis ac piis operibus, atque pax prius cum Deo opt. Max. præcipuè ineunda, ne tandem iudicium: vel iudicij executionem in perpetuum subire cogeremur. Illud duntaxat populo suo persuadere conabatur Vates noster, & idcirco quantum potest verbis exagerat diem illam.

*Erit*, inquit, *tenebrosa & obscura*: Nulla læta salutis spes erit amplius: consultandi tempus iam non aderit. Oportuerat enim Prophetas recte monentes audisse, nec expectanda fuerat dies illa tenebris caligine, nubibus & turbine plena, tanto tristior quanto serena dies lætior & hilarior extat. Ante ciuilia bella, quando Deus pius, clemens & misericors nos tot prodigijs ad resipiscentiam & meliorem frugem inuitabat, & doctores nostri Catholici suis doctis ac eruditis concionibus monerent,

e



vt diem iræ & vindictæ præueniremus, dies adhuc satis lucidus erat, morbum nostrum videre simul & remedia poteramus, sed modo tempus adeo obscurum est, vt ne oculatiores quidem lyncei quicquam prorsus videant. Alij pacem postulant, alij bellum, sed nec pace nec bello curati sumus. Non tandiu expectandum erat, sed dum die sereno fruebamur, huic hæreseos gangrænæ medendum erat, ne in deploratam, abiectam & penitus læthalem *ὄλεθρον* degeneraret. Peritos chirurgos contempsimus. Exules, quos relegauerant Christianissimi reges nostri, propterea quod circa veritatem illi aberrauerant, reuocauimus, ac si peritiores fuissent tot Episcopis, doctoribus & pastoribus Gallicis, & nostræ Reipublicæ Gallicanæ miserè labenti paratiora remedia afferre potuissent. Sed nunquam profecto tales chirurgos, imo verò lanios & carnifices Gallia experta fuerat, qui quæ sua inscitia & imperitia tutò sanare non potuerunt, eadem ipsa crudelissimè sua nequissima perfidia exulcerarunt. Tandiu sanè expectauimus, vt dies obscura ita nos obruat, vt vix præ tenebris & caligine morbum nostrum percipiamus, vt neque isti quos toties frustra Vates monuerat, vt considerarent & aduenterent quàm horrenda calamitas & ærumna præ foribus esset. Quemadmodum aurora sese expandit super montes, sic populus multus adeo & fortis in vos irruet. Hac pereleganti similitudine (cui alludere Christus vi-

detur, dum diem aduentus sui fulguri comparat) Vates ostendit huius belli Assyriaci necessitatem inuitabilem & celeritatem incredibilem. Nam quis ignorat quàm subito sit super montana auroræ exortus? Et quis auroram prohibere potest, quin oriatur, & suis roseis digitis (vt loquar cum Homero) montium cacumina subito attingat? Sic populus in vos irruet adeò multus & ita fortis, vt à condito mundo non fuerit ei similis, neque etiam postea futurus sit, dum seculum stabit. Iste fuit Assiriorum & Babyloniorum exercitus, qui primam monarchiam obtinuerunt, & regni diuturnitate, victoriis & potentia omnes populos longe superarunt. Illud imprimis obseruabimus; Deum totius orbis monarchas armis instruere, vt de impiis sceleratisque supplicium sumat. Persæ & Medi non se mitius gesserunt erga Iudæos religionis & pietatis obliuiosos, quàm Babylonij, etiam si breui aliquo temporis spatio illis fauissent. Et quid non sunt perpeffi à Græcis, præcipuè ab illo illustri Anthioco, qui ob insignem malitiam & tyrannidem radix peccati in scripturis nominatur? Romani illis non pepercerunt, quemadmodum Daniel vaticinatus fuerat. Bestia, *Dan. 7* inquit, quarta terribilis atque mirabilis & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat cæteris bestiis. Et cap. 9. Christo occiso, ciuitatem

Luc. 19. & sanctuarium dissipabit populus cum duce  
 venturo, & finis eius vastitas, & post finem  
 belli statuta desolatio: hanc enim desolatio-  
 nem dominus Christus presentiens fleuit super  
 ciuitatem Hierusalem, quæ visitationis suæ  
 tempus non agnouerat: & cuidam dicenti quã  
 affabrè templum constructum esset, respon-  
 dit, Quia venient dies, quibus non relinque-  
 tur lapis super lapidem. Et conuersus ad mu-  
 lieres, quæ plangebant, deplorabant & lamen-  
 tabantur eius vicem, dixit, Filie Hierusalem,  
 nolite flere super me, sed super vos ipsas flere, &  
 super filios vestros, quoniam ecce venient di-  
 es in quibus dicent, Beatæ steriles, & ven-  
 tres qui non genuerunt, & vbera quæ non lac-  
 tauerunt. Tunc incipient dicere montibus,  
 Cadite super nos, & collibus, Contegite nos.  
 Iosephus & Egesipus hanc plusquam tragicam  
 desolationem post euentum rei descripserunt.  
 Augustinus serm. 24. refert trecies centena mil-  
 lia hominum ex Iudeis Hierosolymis ad cele-  
 brandum pascha fuisse congregata, quorum vn-  
 decies centena millia fame & ferro sunt con-  
 sumpta. Melius illis fuisset, si Prophetis aures  
 credulas præbuisent, & pœnitentia præuenis-  
 sent futuras omnes istas calamitates. Non mi-  
 nores nos manent miserie Christiani audito-  
 res, nisi resipuerimus, & ad vnitatem Ecclesie  
 catholice redierimus, in qua longè melius est  
 constanter permanere, quàm in atriis impio-  
 rum (qui dissensiones spargere non desinunt)

Luc. 23.

stultissime & inertissime desiderere. Græcã nõ-  
 bilis per ipsos Apostolos ad fidem vocata, ad  
 quam multorum epistola maiori ex parte diri-  
 guatur, vniuersa etiam Asia & Africa Tur-  
 cica abominatione polluta, propter sua in re-  
 ligione dissidia, nõs terrere deberent & vni-  
 onem pertuadere, vt furorem belli turcici mi-  
 nantis ruinam reliqui Christianissimi, in Euro-  
 pa vitare possemus, & Deum Patrem per chri-  
 stum in quem credimus, liberè in spiritu & ve-  
 ritate inuocare valeremus, cui laus, honor &  
 gloria in secula seculorum, Amen.

## HOMIL. VII.

*Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurēs  
 flamma, quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post  
 eum solitudo deserti: neque est qui effugiat eum. Quasi  
 aspectus equorum, aspectus eorum: & quasi equites sic  
 current. Sicut sonitus quadrigarum super capita mō-  
 tium exilient, sicut sonitus flammæ deuorantis stipulã,  
 velet populus fortis pręparatus ad bellũ. A facie eius  
 cruciabuntur populi, omnes vultus redigetur in orbem.  
 Sicut fortes current, quasi viri bellatores ascendent mō-  
 rum: viri in vis suis gradientur, & non declinabunt  
 à semitis suis. Vnusquisque fratrem suum non coarctabit,  
 singuli in calle suo ambulabũt, sed & per fenestras  
 cadent, & non demolientur. Urbem ingrediẽtur, in muro  
 current: domos conscendent, per fenestras intrabunt.*

*quasi fur. A facie eius contremuit terra, moti sunt caeli: sol & luna obtenebrati sunt, & stellae retraxerunt splendorem suum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius, quia sortia, & facientia verbum eius. Magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis sustinebit eum?*

**I**llud mortalium animos acriter ac vehementer torquet, cum passim videant ipsam Ecclesiam afflictam esse & prostratam consilio, armis & industria nefandissimorum horum, quorum excellentiores, sunt Ecclesia, pessimis longe deteriores. Quis ignorare potest, etiam si parum in historiis sit versatus, Turcarum mores spurcissimos, foedissimos & flagitiosissimos esse? Non enim illi contenti sunt vxorum & concubinarum multitudine contra primam Dei institutionem, sed & contra ipsa naturae iura mascula venerè impune abutuntur: qui tamen Constantinopolin Graecorum imperatorum Christianorum olim sedem, à paucis annis expugnarunt, nuper Rhodum insulam historia Graeca & Latina celebrem, & nostra aetate Cyprum & Tunetum à Christianorum manibus eripuerunt. Assyrij & Babylonij nihilo meliores Turcis exitere, quos tamen exercituum Deus contra duas tribus, quae à cultu diuino & pietate non omnino descuerant, coegit, armauit, instruxit, quemadmodum Ioel noster pulchre describit. *Ante populum illum*

*ignis deuorans, post ipsum flamma exuret: i. ante se & post se non apiter ac ignis omnia deuorabit, incendio ante se cuncta vastabit, & post se quicquid reliquerit flammis deperdet. Rationem ostendit Christus Luc. 12. quare tam seuerè & duriter tractetur & castigetur Ecclesia. Seruus inquit, voluntatem qui Domini sui pernouit, & non facit ex voluntate eius, caedetur pluribus plagis quam qui necillam nouit, nec facit. Cum igitur reliquae istae duae tribus satis superque per leges & prophetas edocerentur, quae nam esset Dei voluntas, & voluntati eius non satisfecerint, dignae fuerunt vt per Assyrios ipsis centies peiores cum tanto & tam violento exercitu caederentur. *Ante faciem eius ignis vorans, &c.* Antequam aduenirent hostes, terra ista tam amœna, florida ac læta erat, vt vel cum ipso paradiso conferri potuisset: postquam verò grassati fuerint, erit vt vastum atque aridum deserrum: Et non erit qui hostiles manus effugere possit.*

In his nostris bellis ciuilibus filij huius seculi, qui filiis lucis sibi prudentiores videtur, vt hugnosticorum vorantem ignem & incendium euitarent, multa dissimularunt, cognatos & affines suos, qui ab Hugnosticis stabant, officiis & muneribus placarunt, sed verendum ne ignotus repente adueniat, cuius vim ac tyrannidem nemo vitare atque effugere poterit. Palestina optima & fertilis, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine passionis, facile omnibus aliis terris antecellit, quapropter pa-

radix suæ deliciarum hortus appellatur. Licet enim florentissima & feracissima esset, & præcipuè frumenti, vini, olei & balsami, illud tamè non obfuit, quo minus Dominus Deus hostem adduxerit, qui illam ferro, igne & flammis vastaret. Illa terræ fertilitatè confidebant: nam si quas incurfiones hostes fecerint, inquebāt, habemus multos prouentus asseruatos, deinde, mensis anni sequētis damnum prioris resarciet. At verò spem omnem adimit, nam venient Assyrii, qui terram hæc relinquunt vastam, scaldam & deserto per omnia similem. Quid profuit Sodomitis terram pinguem & opimam incoluisse? Deus agrorum vbertate non retinetur, quo minus incolas supplicio afficiat & vlciscatur. Nonne & Gallia nostra ipso etiam paradiso, qui in Edem plantatus fuerat ante locustarum hugnosticarum aduentum conferri potuisset? Sed ipsorum incendia nihil sani & integri reliquerunt. *Quasi hortus voluptatis terræ corameo.* Vt Vates Iudæis suam excutiat cunctationem, mire depingit iram Dei, pluribus nāque modis tentarat illos ad saniozem mentem reducere, sed frustra, & ideo extremam manum apponit. Illi vix ac ne cogitatione quidè vlla comprehendere poterant populum tam longè à regione, quam ipsi incolebant, distantem, posse adeo breui temporis spacio in ipsos irruere, cum loca quibus transeundum fuerat, montosa & ibicibus damisque duntaxat peruia essent: sed his omnibus Vates occurrit:

Nam huius populi aspectus, gestus & habitus non solum equis ad bellum natis (quos velocitate ne alius quidem præuerterit) persimilis erit, sed etiam non minore celeritate feretur quàm expeditissimi equites & ad prælia paratissimi. Per iuga montium repente subsilient atque ferentur, vti sonus quem stridentes ac concrepantes quadrigæ ædere solent. Subito enim præter opinionem & ex improviso per inaccessible caules & rüpes sese diffundit. Et quæ admodum strepit & resonat flamma ignis, dum consumit stipulas & stramenta, ita nimirum, vt magno in exercitu benèque instructo, ipsa inter se arma concrepent. Barbari in conflictu maximos clamores ædere solebant, quibus apposite admodum aliqui comparant hereticos, cum clamorum apud illos nullus sit finis, & nihil aliud agant quàm quod bellum meditetur: Satis graphice olim eos depinxit Tertulianus in lib. de Præscription. Scripturas inquit, ob-  
*Libr. de Præf.*  
tendunt, & hac sua audacia statim quosdam mouēt: in ipso verò congressu firmos suis quidem clamoribus fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt, & ideo fides nostra obsequium Apostolo debet, prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus aures accommodare, hereticum post vnam correptionem non conuenire, non post disputationem. Ideo interdixit disputationem, correptionem causa heretici conueniendi. Sed redeamus vnde digressi sumus. Sicut populus fortis, militaris

atque bellicosus, Assyrij erunt. Cùm dominus Deus vult de populo aliquo supplicium fumerre, quasdam gentes extraneas & barbaras euocare solet, ne quando pacem cum vicinis nostris colimus, peccatis indulgeamus, quasi securi & extra teli iactum effemus. Sic erga imperium Romanum deum sese gessisse, tum propter imperatorum tyrannidem, tum propter summorum Pontificum ambitionem, omnes produnt historiæ. Nam Gothos, Visegotos, Hunnos, Lombardos & Allanos ex remotissimis Septentrionis partibus armauit, qui imperium totum deformarunt ac demoliti sunt. Et vt etiam Græcorum leuitatem, inconstantiam & perniciosissimum schisma vindicaret, Arabas furtis & latrociniiis assuetos excitauit, qui Græciam olim florentissimam totam deuastarunt. Poterant duæ tribus defensionem quandam contra hostium insultus prætexere, nimirum veteres milites exercitatusimos, qui in superioribus bellis, & contra decem schismaticas & idololatrias, & contra vicinos, qui Iudæ fines occupare conati fuerant, summopere sese exercuerant. Sed illud non obstabit quominus in eos iram & vindictam suam exerat. Nam populi illo exercitu cõspecto sicut mulier in partu dolebunt, omnium facies colligent nigredinem. Qui valentiores & animosiores extitere in superioribus bellis, ita coram Assyriis pæuebunt, vt facies illorum contrahant luridum & nigrescentem pallorem, *leuis faces feront*

*tottes termes*, instar fuliginis olle & lebetis. Omnes exanimati & suspensi erunt. Omnium vultus ponent gloriam suam, cristasque demittent. Olim in Gallia nostra magnam de militibus nostris spem habebamus, qui & pietate & armis omnes alios superabât, sed bella ciuilia, religionis ergo, scilicet, & vindicandarum iniuriarum priuatarum prætextu suscepta milites nostros consumpserunt: propterea militum nostrorum fortitudo & industria nos haud remoretur, quò minus seridò resipiscamus. Præter militum fortitudinem duæ tribus gloriabantur se vrbes firmissimis præsiidiis munitas habere, sed hæc omnia vana erunt: nam acies superuentura militibus perstrenuis instructa erit, qui intrepidi mœnia scandent, vallum transgredientur, seruiabunt ordines in urbibus capiendis mira industria, vt nullus alteri impedimento sit, quod quidem religiosissimè & seuerissime obseruari debet, quemadmodum Vegetius, Tullius & alij qui de re militari scripserunt, constanter tradunt. Ad hæc, tanta audacia freti in medios gladios ruent, posito mortis timore, & ab hoste etiam ferientur, nec tamen vulnerabuntur. Alij verunt, & non concupiscent, id est scient & vincere & victoria potiri: nã lucro & prædæ vt auari milites solent, non auarè, non cupidè inhiabunt. Per vrbes cursitabunt, perinde vt per agros latè patentes, ferentur per muros, conscendent domos, & effractis portis, vel muris superatis per ipsas etiam fenestras intrepidè irruent. Tã-

ta denique erit eorum rabies, & vestrorum hominum consternatio, vt ante aduentum ipsorum terra commouearur, & cæli contremiscat, adeo vt sol, luna & stellæ splendorem illum suum in tenebras commutent, plusquam cimerias, ac si diceret, in singulis mundi partibus signa iræ Dei apparebunt. Tanta erit calamitas & afflictio vt rerû machina miseris mortalibus sursum deorsum susque deque, super subterque misceri videatur. Hæc omnia impleta fuisse constat Isaias cap. 10. vbi qua via Senacherib Hierosolymam venerit, narratur.

Ex his docemur non ferocire aduersus Dominum, ob nostrarum virium & locorum fiduciam. Vates noster interim industrij & strenui militis condiciones descripsit, quas temporibus elapsis in Gallis nostris reperiri licuit, quando auaritiæ, malorum omnium radici, nõ plus feruiebant quam pietati, regi, reipublicæ, & honori proprio studebant. Simili pictura Isaias maximam Babyloniorum cladem qua & Ioel noster præmonstrauit. Quoniam inquit stellæ cæli & splendor earum non expandent lumen suum, obreuebratus est sol in ortu suo: Erubescet luna, & confundetur sol. Eadem phrasi Amos loquitur: Occidet sol in meridie. De signis extremi iudicij diem præcedentibus Christus differens aiebat, Erunt signa in sole, luna & stellis. Sic Deus opt. max. iram & ultionem suam per prodigia, quæ fiunt in sole, luna & stellis indicare solet. In Ægypto densæ fuerunt te-

Amos 8.

Luc. 21.

Exod. 10.

nebræ, quæ etiam passionis Domini tempore factæ sunt per vniuersam terram, vt & eius diuinitatem gentibus etiam & a religione alienis liquidò testarentur. In maximis, nobilissimis & plusquam tragicis rerû mutationibus talia conspiciuntur, tum in cælo, tum in terra signa & prodigia, vt his signis apud omnes testatum sit rerum humanarum ruinam nõ fortuna aut casu accidere, sed nutu & consilio Dei, qui cælum & terram gubernat. Ne quis ergo hostis ingenio, dexteritati & industriæ ista potius quam Deo summo imperatori (penes quæ rerû summa est) tribueret, addit Vates. *Et Dominus adet vocem suam ante exercitum suum*: id est, huic exercitui suo animam addet: ad futuram dimicationem oratione, vocemque suorum animos acuet, ipsosque longè reddet ferociores, vndique copias contrahet, vt numerosiore agmine decernat cum hostibus. Quia magna castra eius, quia robustus, qui facit verbum eius. Deus apud Isaiam vocat Assur virgam furoris eius, hic verò Senacherib Assyriorum regis exercitum & castra ingenuè vocat sua. Vbi quidem apparet Deum impiorum opera vti, cum iudicia sua exequi solet: nihilominus nõ probat illorum ambitionem, auaritiam, iram & crudelitatem. Hoc & in Senacherib monstrauit, quem ex isto bello ad sua reuersum, filiorum suorum coniuratione in templo (vbi vota idolis nuncupata soluebat) occisum fuisse legimus. Nõ hodie nobis nouum & insolitum videatur si populum Christianum bel-

Matt. 27.

Isa. 10.

ils imperi, coāgustari & superari tum ab impu-  
 puris turcis, tum à perduellibus hæreticis in  
 dies experiamur. Peccata quidē nostra ista me-  
 rentur & longè maiora. Quapropter resipiscamus,  
 & pœnitentiam non hypocri citā, hæreticā  
 & theatricam, sed seriam, veram & synceram  
 (qualem semper Ecclesia Catholica docuit &  
 hæctenus retinuit) attriti & confessi agamus, vt  
 pater noster cælestis, quem in multis grauiter  
 offendimus omnes, emendatos nos perſenti-  
 scens, baculum & virgas furoris, quibus iam  
 multis plagis cæsi fuimus, sua singulari vtens  
 clementia in ignem proiciat. Timendus nā-  
 que est magnus dies domini, & terribilis valde,  
 quem quis sustinebit? Horrendum est, vt  
 nos præmonuit Apostolus, incidere in manus  
 Dei viuentis, quemadmodum veteres probant  
 historia. Noemi temporibus vniuersa terra,  
 octo duntaxat animabus exceptis, funditus de-  
 leta est. In deserto sexcenta millia ex populo  
 Israëlitico, Iosue & Calepho demptis ob in-  
 credulitatem interierunt. Dauidis regis super-  
 bia effecit, vt triduo septuaginta millia viro-  
 rum peste occubuerint. Quis quæso diem iræ  
 & vltionis diuinę ferre & sustinere possit? Lente  
 profectò incedit diuina illa vindicta, verun-  
 tamen maxima & grauissima est, quam per pœ-  
 nitentiam solam effugere possumus, cui laus  
 honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

Hebr. 10.

Gen. 7.

Deu. 1.

2. Reg. 23.

*Nunc ergo dicit Dominus, conuertimini ad me in  
 toto corde vestro, in ieiunio, & fletu & plâctu. Et scin-  
 dite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuer-  
 timini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus &  
 misericors est, patiens & multa misericordia, & præ-  
 stabilis super malitia. Quis scit si conuertatur, & igno-  
 scat Deus, & relinquat post se benedictionem, sacrificium  
 & lib. amen Domino Deo vestro?*



Tiamsi Deus opt. Max. aduersus Iu-  
 dæorum Ecclesiam copias omnibus  
 rebus ornatas & instructas tam po-  
 tentis monarchæ coegisset atque ar-  
 maillet, vt qualia manerēt supplicia eos, qui sa-  
 croſanctas & diuinas leges transgredirentur,  
 liquidò monstraret: piissimus tamen rex Eze-  
 chias cum populo suo resipiscens, ad Deum tã-  
 dem conuersus, quum fame ita præmeretur vt  
 quo se verteret amplius non haberet, periculū  
 proximè impendens euasit, ac sancta ciuitas  
 Hierusalem à periculosa obsidione seruata &  
 liberata fuit. Præterea cū Dominus Deus isto-  
 rum carnificum vtpote Assyriorum opera vsus  
 fuisset illos misere perdidit: quando nocte vna  
 egressus Angelus Domini centum octuaginta  
 quinque millia, & Senacherib fuga seruatus, in  
 idolorum fano à filiis suis interemptus est. Qua  
 ex re colligere licet, quod si Deus tyrannorum  
 malitia sæpissime vtatur, illam interim nō pro-

4. Reg. 19.

2. Paral. 32

bat, nec diu finit inultam, imò verò patris clementissimi mores imitatus, quamprimum nos probè castigatos & emendatos senferit, flagella in ignem proiicit, eaque flammis deuouet. Respiscenciam igitur Vates noster, quem supra intelleximus tanta verborum acrimonia, tantaque libertate omnium ordinū vitia perstrinxisse, vt veteris comedie libertatem superasse diceres, suis auditoribus persuadere nititur, vt excusso isto iam tandem, quo præmebantur veterno, ad Deum facilem, lōg animum & magnę misericordie, quem concepti aduersus hominem mali cito pœnitent, quique vt vertit D. Cyprianus sententiam aduersus malitias irrogatas clementer & benigne flectit, serio conuerterentur. *Nunc ergo conuertimini ad me in toto, &c.* Ecclesia catholica istud vaticinium quotannis factis mysteriis legere solet, in sanctę quadragesimę ieiuniorum principio, vt nos Christiani veram & seriam pœnitentiam aggrediamur, & sic freti auxilio Dei per Vatem Ioëlem vocantis, nos prout fert nostra tenuitas præparemus, vt digne in maxima Paschę solennitate, corporis & sanguinis dominici in augustissima domini mensa participes efficiamur. *Nunc ergo dicit dominus.* Verba ista quandam emphasim habent, si ea quę præcesserunt paulo altius explicauerimus & diligentius excusserimus diei domini, quem vix quis sustinere posset, proximè meminerat, nunc verò docet eos posse vindicem numinis iram flectere, modo ad Deum

Deum toro ex animo conuertantur: & vt fidem in dicendo conciliet, & oratio sua plus auctoritatis habeat, Deus huius doctrinę autorem citat: ac si diceret: Is ipse, qui locustam brucum & rubiginem immisit, & Babyloniorum regē maximis copiis cōtra vos instruit & armat, nunc in vltimo temporis articulo iubet, vt ad ipsum conuertamini. Non desiderat nec vult mortem peccatoris, immo vt conuertat se à viis suis, & viuat: atque tūc dicebat per Isaiam: Si peccata vestra fuerint vt coccinum, niue albiora reddentur: si rubeant instar purpurę sicut lana natiua fient. Et Ioannes dicebat: Si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est, vt remittat peccata nostra. Nabuchodonozor tyrannus ille, quo Dominus Deus vsus est in populo isto puniendo, pœnitentię vim efficientiamque maximo suo commodo sensit. Illa enim Manasses omni genere scelerum pollutus, regnum iure amissum recuperauit. Silentio prætereo Zachæum, Mathæum, Magdalenam, Petrum & innumeros alios, quorum exemplis docemur, non vt peccatis nos inquinemus, vel in peccatis perseueremus, sed vt nos aduersus conscientie tentationes armemus, ne Sathan ob pessimè à nobis transactum vitę curriculum, in desperationis barathrum nos trahat. Pœnitentiam tardam etiam & seram à Deo opt. max probari videmus, vt filij prodigi parabola, & latronis iuxta Christum in cruce pendentis exemplo satis apparet. Equidem mirari satis Nouatianorum

*Isa. 1.**1. Ioan. 1.**Dan. 4.**2. Paral. 33.**Luc. 15.*



in scitiam non possum, qui lapsis misericordiam implorantibus & exposcentibus, pœnitentiam impudenter denegant, cum ipsi non semel, (vt Tertulliano quondã visum fuit, quod & illi Pacianus exprobrat) sed toties quoties per pœnitentiã reuertuntur, humaniter admittendi sint. Porro quis in sacris scripturis aded modicè versatus, qui non nesciat Deum propter fructus pœnitentiã dignos iram omnem remisisse, atque supplicia aut comminata aut intentata relaxasse? Quotiescunque Iudæorum populus hostium ludibrio ob peccata & scelera sua erat expositus, ad pœnitentiam tanquàm ad sacram ancoram sapienter confugere consuevit. Niniuitæ totius regni excidium pœnitentiã impediuerunt, Iudæi qui Christum crucifixerant, per pœnitentiam adiecto baptismo, peccati huiusce grauissimi & cæterorum remissionem adepti sunt. Quemadmodum enim per peccata nostra auersi fuëramus à Deo, necesse est vt ad illum, qui nos vocat reuertamur, & ipsius iussis lubenter pareamus, non perfunctoriè neque fictè, sed toto ex animo, vera scilicet & seria pœnitentiã, quæ præter vitæ antea mutatiõnem, animi quoque & voluntatis in bonum conuersionem ita comprehendit, vt simul etiam contineat dolorem propter Deum grauiter offensum, ac desiderium satisfaciendi diuinæ iustitiæ. Non enim vult Deus, vt similes efficiamur iis, qui simulate sanctitatis in Euangelio arguuntur, vt pote, qui vultus suos ad tristitiam componunt; natuum

faciei colorem vitiantes & corrumpètes, vt hominibus macra & pallida facie appareant, ac si ieiuniis hunc pallorem cõtraxissent. Prò Deum! hisce exulceratis temporibus neque homines sese ieiuniis exercent, neque ieiunare simulant, sed luxui, gulæ & ebrietati publicè & cum proximi scandalo nimium indulgent, cuticulæ præclare curantes ac Epicureorum more voluptatibus planè deseruientes. Qui sic carnis affectibus & Deo seruire frustra conantur, non vt decet, ad Deum conuertuntur. Quis posset duobus dominis seruire? oportet vt aut calidi aut frigidi simus, nec in duas partes claudicadum. *Matth. 6.*

*Conuertimini ad me in toto corde vestro, &c.* Deus *Apoc. 2.*  
est ad quem nos conuerti vult Vates, quoniam *3. Reg. 18.*  
verò spiritum veteris Adami patris nostri respimus, qui post peccatum latere voluit, & sic pollutus & conspurcatus diuinum cõspectum veritus horruit, scriptura nobis Christum pro *1. Ioh. 2.*  
ponit aduocatum & mediatorem, per quem facilem accessum habemus. Interim otiosi non debemus, sed cõuersionem nostram bonis operibus, quæ Christi spiritu sũt, testari necesse est, ieiunio videlicet, fletu, lamētis, χαμενιάς, ciliciis & cordis scissura. Non solum vates melioris vitæ propositum exigit; sed & alia bona opera, siquidem spectans, vt mihi videtur, quãdam satisfactionem tali exactione operum, non quidem ex sua natura sufficentem, sed gratuita quadam beneuolentiã Deo placentem. Nescio equidem Christiani auditores, quibusnam ope-

*Luc. 3.**Ion. 3.**Act. 2.**Matth. 6.*

ribus modò pœnitentiam protestemur. Ieiunium exoleuit omnino, neque hodie vsquam retinetur: nisi apud quosdam idiotas & simplices qui cœlos rapiunt, doctis interea & huius mundi sapientibus in carne & sanguine lutulente se volutantibus. Si scripturam & vereris Ecclesie historias accurate ac diligenter volueremus, Christianos ab eo tempore quo sponfus sublati sunt à conspectu oculorum sponsæ suæ, & ad cœlos ascendit, frequentius ieiuniis vacasse, quam modò, reperiemus. Act. 13. Prophetæ & Doctores qui Ecclesiam Antiochenam regebant, ante χειροτονίαν, suffragationem, electionem & sacram ordinationem Diuorum Pauli & Barnabæ, ieiunarunt. Hoc modò sese gesserunt ambo isti Apostoli in presbyterorum cooptatione, Act. 14. Nam cum per suffragia creassent per singulas Ecclesias presbyteros, precatique essent cum ieiuniis, commendarunt eos Domino. Postquam ipse Paulus 2. Corinth. 6. commemorasset, quibus in malis versatus esset, statim explicat per vigilias & ieiunia restitisse. Consultit idem Apostolus nuptis à thoro sese aliquoties abstinere, vt ieiunio & orationi vacent. Ecclesia Alexadrina, quæ à Diuo Euangelista Marco instituta fuit, ieiuniis valde austeris (vt Eusebius ex Philonis testimonio tradit) olim se exercuit. Nicephorus varios ritus in ieiunio quadragesimali apud diuersas Ecclesias seruatòs scribit. Diuus Augustinus longe ante Nicephorum, hunc ieiuniorum morem tam

2. Cor. 7.

tritum & vulgarem fuisse apud omnes ecclesias testatur, vt Manichæi suum hereticum & diabolicum ciborum perpetuum delectum, ex catholico quadragesimali ieiunio, quo tempore Christiani à carnibus sancte ac pie abstinebant, confirmari vellent. Christianis ergo ieiunia, nedum Iudæis, arma vulgaria extiterunt.

*Conuertimini ad me in toto corde vestro, &c.* Hoc in loco videre licet quid discriminis sit inter Christianum & philosophicum ieiunium. Nam quolibet tempore Christiani sobrie viuere tenentur, quòd Philosophorum ieiunium vocamus: sed cum tali sobrietate, à nobis exigitur quoddam ieiunium austerius vt ex Euangelio & Vate nostro constat. Scio equidem Gallos nostros, qui Germanorum ebrietatem ob regionum viciniam participant ac communicant, à Seuero Sulpitio in Dialogo Postumij & Galli notari ac vituperari, quòd non ita frequenter ieiunent, vt orientis incolæ. Quispiam verò reformatorum scilicet, regionis Gallicæ frigiditatem accusat, quæ digestionem sic iuuat, vt heretici Galli omnia fere templorum vasa aurea & argentea facile concoxerint & digesserint. Ostomachos struthiocamelis dignòs! Vati nostro; & non subreptitiis istis aeternas aures præbeamus; qui ex Dei mandato ieiunium indicit cum fletu & lachrymis: & vt verum ieiunium à fucato secernat, admonet.

*Scindite corda vestra & non vestimenta vestra.* Hoc

est serio de peccatis vestris dolete. Vix ac ne vix quidem hanc vitam sine ceremoniis transigere possemus, quibus pietas necessario coniungi debet: nam fictas & fucatas (qualis apud Hebræos olim fuit vestium scissura, in rebus planè deplo-  
*Hier. 4.* ratis & maximè tristibus fieri solita) Deus summo odio persequitur: idcirco dicit, ne putetis Deo illudere laruatistis istis ac externis exercitiis: nisi mens sincera adfuerit, quam Deus maiorum vindex maximè spectat, nihil vobis proderunt, nisi ad Deum in vos ipsos grauius exacerbandum, irritandum & laceffendum. *Scindite ergo corda vestra, &c.* Ac si diceret, quemadmodum circuncisio carnalis, sacramentorum & ceremoniarum legis & patrum præcipua, nihil fructus vobis affert, vt Hieremias clamat, nisi comiterur cordis circuncisio, sic nec vestium scissura, neque corporale ieiunium, neque alia quæuis corporis exercitatio proderit, nisi ex intimo cordis affectu procedant. Non sunt interim illa pietatis exercitia propter nostram & populi negligentiam, torporem & abusum abroganda, sicuti nec vites iuxta Licurgi sententia, etiam si sine Baccho frigeat Venus, auellende sunt, si Solone suadente, fons ipsis adhibeatur puteus. Sic Apostolus Paulus Athenienses circa Deum ignotum abusus dedocuit, non reiiciens, tamen id quod ad pietatem faciebat. Vtinam Hugnostici ista paulò accuratius inspexissent, non enim tam temerè omnes ferè Ec-

clesiæ ritus damnassent, sed ad veram, synce-  
 ram & antiquam institutionem reuocassent, vt & Vates noster, qui non arguit vestium scissuram, si modo indurata atque occacata corda disrumpant homines. Ista sanè cordium ruptura maximè requiritur in cõuersione ad Deum, quæ tamen ex viribus nostris fieri non potest, sed gratia Dei vocantis & miserentis voluntatem nostram præuenit, quam aspernari summum nefas esset. Initium enim reuertendi ad Deum, Diuo Bernardo teste serm. 1. in die Penthecostes, pœnitentia est, quam sine dubio spiritus operatur, non noster, sed Dei. Nam quis ait quum ad ignem venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat sine illo? Sic ergo qui erat in iniquitate frigidus, si postmodum feruore quodam pœnitentiæ accendatur, alium sibi spiritum, qui suum arguit & diiudicat, non dubitet aduenisse. Noli tamen cogitare quemquam à spiritu trahi inuitum, quum trahatur animus & amore, non necessitate, sed voluptate & delectatione, vt docuit August. Tract. 26. in Ioannem. Dum enim Paulus in ipsa procuratione & actione persequeretur Ecclesiã, vocantis gratiam, qua præuentus fuit, ambabus vlnis, vt est in prouerbio, complexus, trahentem se, liberè secutus est: Valeant igitur Serui arbitrij cum patribus suis Manicheis noui assertores, & in vltimas terras deportentur, vt non diutius pœnitentiæ obtrecent, & bonis

operibus, quæ Ioel tantopere commendat, argumentis etiam petitis ex Dei optimi Maximi attributis, sic Deum suis depingens coloribus, ut terribis magnitudine peccatorum animos erigat, & ad spem veniæ perducatur. Gratiolus, ait, & misericors est, longanimis & multæ misericordiæ, & quem concepti aduersus homines mali cito pœnitet. Ac si diceret, tanta est ipsius Dei vestri ad condonandum facilitas, ut me etiam tacente, res ipsa loquatur: quæ tamen Dei epitheta Vates sic dicta esse vult, non ut nobis ipsis in peccatis nostris blandiamur, nec scelera sceleribus accumulamus, aut in dies præfractiores efficiamur: nam secundum duritiam nostram, & pœnitere nescium cor nostrum, thesaurizarem in die iræ & iudicij, sed ut facilitate & indulgentia vere paternæ fracti, animos rebelles & contumaces flecteremus, & tandem ex animo respiceremus. At verò hæc audiamus epitheta, & quæ Vates Deo tribuit diligenter attendamus.

Primò loco beneficis, gratuitis, benignis, qui facile flectatur, non durus & intractabilis implacabilisue, qualè poète fingunt Achilem, & ut ceteri solent mortales. Secundò, misericors, imò pater misericordiarum, cum ipsius misericordiæ sint innumerabiles, & quemadmodum pater liberorum intime misereri solet, ita Dominus miseretur eorum qui timent ipsum. Hebraicè habetur רחמי quod significat miseratorem, misericordiam, vel potius vis-

scera miserationum, amorem vehementissimum ex ipsis visceribus emanantem, quo naturales parentum erga suos liberos עפף significantur. Nos verò qui à paterna misericordia degeneramus, inimicorum incommodis lætamur. Tertio, longanimis, tardus ad iram. Septuaginta legunt μακρόθυμος, longæ iræ. Hoc enim ad exemplum nostrum trahi debet, ne facile irrite mur, sed libenter proximo cōdonemus, si quid in nos peccauerit. Quarto, multæ bonitatis seu gratiæ, ita ut ægrè ferat sententiam contra fontes, & pœnæ in eosdem conceptæ cito pœniteat, ubi vix nos inimicorum calamitatibus satiari possumus. Hoc in loco docemur de peccatoribus bene sperare semper: nã & eos qui undecima hora veniunt, etiam in vineam suam conducere solet dominus. Fit vobis obuius, ut pater filio prodigo culpam suam agnoscenti. Reliquit nonaginta nouem oves, ut centesimam quæ errabat, ad caulas reducat. Ne ergo frangamur desperatione, vel temeraria quadam fiducia torpescamus. Nam quis scit si conuertatur dominus & pœnitentine tangatur, ac benedictionem relinquat? Ego verò id plane scio, ait Nazanzenus, Orat. in plagam grandinis, Ego misericordiæ diuinæ sponsor. Haud dubiè missa facta ira, quæ ipsius naturæ aduersatur, misericordiam, quæ ipsi naturæ inest, amplectetur: ad illam enim à nobis vi pertrahitur, ad hanc suapte natura fertur. Cum igitur non nisi coactus percuriat, quid afferri po-

Rom. 2.

Psal. 102.

Matth. 20

Luc. 15.

test, quin naturali sua bonitate utens indulgentem se nobis præbiturus sit, modo nosmetipsum nostrum miserat, iustisque patris visceribus viam patefaciamus? Vati igitur dubium non erat, quin Deus huic populo parceret, si ex animo pœnitentiam ageret, sed dubitabat si bellum Assyriacum impendens auerteret. Nam licet

*Non semper cum peccato & pœnam remittit Deus* Deus nobis nostra delicta condonet, quando respicimus, nihilominus sæpe pœnis temporalibus nos punit & castigat. Hoc in Dauide manifestum sit, cui Natham dixit peccatum eius translatum esse, quem tamen grauissimæ pœnæ externæ & temporariæ manebant. Et quod

2. Reg. 12

hic Propheta de re temporaria loquatur, clarum est, nam dicit, Quis scit si conuertatur ac mutato animo, propositi ipsum pœniteat? ita ut post se relinquat benedictionem, qua mala hæc omnia auertat, ita ut abundè vobis sacrificia & libamina domino Deo vestro offerenda suppetant. Aliqui hunc locum referunt ad hierosolymitanæ reipublicæ (quæ duce Zorobabele contigit) restitutionem. Fortassè pœnæ istæ comminatoriæ sunt, quas per seriam pœnitentiam effugere possumus, & sic hostis non tam latè agros nostros vastabit, quin remaneat frumentum, vinum & oleum, ut nos in cultu diuino exerceamus. Deprecemur patrem in nomine Christi, ut Rempublicam Christianam restituat, atque bella ciuilia, quæ continenter nos premunt, procul à nobis abigat, ut patriam nostram non penitus deualet ac depopulen-

tur, ut sit aliquid, quo nos & doctores nostros alamus, qui in spiritu & veritate domino seruiantes, sacra consueta faciant et, cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

## HOMIL. IX.

*Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate ecclesiam, condunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.*

**A**D maximas & communes calamitates sedandas & restringendas necesse est omnem rationem, curam & laborem vnusquisque pro sua virili adhibeat, & suam vniuersam operam conferat, nisi truncus & bardus, & quauis republica indignus ab omnibus haberi velit. Cùm igitur bellum sit quoddam commune incendium, à quo ne vnus quidem vix liber esse queat, omnia adhibenda sunt remedia, quibus illud comprimere ac restringere possumus: ieiunium autem sine quo nullus vnquam factum aliquod insigne aggressus est, præclarum esse remedium sacre historię vbique docent: hinc vates noster omnes compellat cuiuscumque ætatis, gradus & ordinis, senes videlicet & iuuenes, atque adeo ipsos etiam infantes, atque etiamnum la-

stantes & vbera lugentes. *Clangite tubam in Sion, sanctificate ieiunium, &c.* Addit de externis moribus & ceremoniis, quibus vulgo opus est, ut plebs ad pœnitentiam inuiteretur. Ezechias enim rex piissimus, cuius temporibus istac acciderunt, plurimum sudauit pro pœnitentia ista solemni & publica decernenda atque indicenda, ut suo probo pióque exéplo sequéres reges doceret in huiusmodi calamitatibus ac periculis cõstitutos idem præcipere, quo iram & vltionem diuinam prócul à regnis suis auerterent. Pius sane ac fidelis magistratus in his externis præcipiendis ecclésię pastores adiuuare debet, Saulis regis instar, qui non ieiunanti mortem minatus est, quum à Palestinis periculum esset: alias in officio retinere profanum & indocile vulgus non potest, et vt ingenuè fatear, nusquã eorum dictum probauit, qui in vulgus plus satis in cõsultè effutunt, & inter aulicos spargunt, regum etiam Christianorum non esse, ea quæ ad religionem spectant, curare. Nonne rex Niniuira prædicatione Ionæ commotus, pœnitentiam publicam indixit, bestiis etiam ipsis rationè carentibus, nedum populo vitiatò, corrupto, & perpétuo excidio digno? Nonne Dauid in Israelis regnum inauguratus, cultum diuinum & pietatem suam opere curauit? Archem domini cum magna exultatione & tripudio comitabatur, adeo demissè & humiliter se gerens, vt Michol regiam patris sui superbiam spirans, offenderetur: Ipse quoque

1. Reg. 13.

Iona 3.

1. P. n. 15.

1. P. n. 22

filio suo Salomoni præcepit, vt templum sacrosanctum ædificaret. Quapropter Elaias iure *Isa. 49.* optimo mihi videtur, reges Ecclesię nutritios vocare. Quis non maximè laudaret Constantini magni pietatem, qui omnibus vniuersæ propemodum Ecclesię antistibus Nicæ, Birhyniæ congregatis præsto fuit, & quæ hoc in loco à sanctis patribus decreta fuerant per totum imperium Romanum tunc temporis latissimè patens, iussit obseruari? Martianus Constantini pietate motus, sacris comitiis contra Eutichem temerarium Monachum sanctissimè congregatis interfuit. Karolus magnus Gallorum Episcopis suasisit, vt prouincialem synodum congregarent, in qua de reformatione Ecclesiæ, tum miserrimè afflictæ, ageretur. Ipsemet quædam ad pietatem spectantia piè satisque feliciter conscripsit. Et ne vos diutius oratione mea detineam, volens lubensque taceo ante Carolum, Iouinianum, Valentinianum, Theodosium, Honorium, Archadium & quamplurimos alios, qui cum regis negotiis, pietatem summè coluerunt, contra prophanos hæreticos defenderunt ac tutati sunt. Constat ergo reges curare debere quæ sunt religionis, quibus per regium prophetam dictum est, Et nunc reges intelligite, &c. *Osculamini puerum Dei filium, ne quando irascatur dominus. Porro tubæ clangore ieiunium cum aliis pœnitentiæ apendicibus indicbatur, etiam regum iussu in Sione sancto Dei monte. Quum enim pœni-*

Psal. 2.

tentia publica denuncianda erat, nihil omittendum fuit, quod ipsam remoraretur, imo verò omnia admouenda erant, quibus iuari poterat, quale ieiunium extitit, indictio cœtus, vel cessationis à labore, congregatio populi, Ecclesiæ lustratio & sanctificatio, operepretiū siquidem esset singulas istas partes nunc exactè discutere, nisi de ieiunio multa superioribus homiliis tractauissemus, idcirco paucis de illo iam iamque dicam. Satis mihi erit si quorundam libertinorum ora obstruam, quippe qui voce & scriptis diuulgant ieiunium idem esse respectu Dei, quod vestes pullas & squalidas, & promissam barbā apud terrenos iudices, vel ut ieiunio reum se quis restetur, & seipsum admoneat, ieiunium non esse opus meritorium, neque ieiunio Deum coli. Hæ sunt Caluini putidæ nugæ, tali certe Epicureo dignæ, quas manifestasse, satis confutasse (ut verbis Irenei utar) videor, nisi exulcerarum nostrum tempus ad scripturas nos semper prouocaret. Agite dum ipsis etiam scripturis illum erroris nefarij conuincamus. Si idem esset ieiunium Caluine, ac vestes pullæ & squalidæ, promissa barba & impexus capillus, ad quid Vates Ioel, cæterique cum isto lugubri & pœnitentiæ accommodato habitu, ieiunium decernunt & indicunt? Omnes isti sanctissimi prophete ab epicuro & Aristippo nostro bartalogiæ non minus impudenter, quàm impie insimulantur: sed hæc non mirra cuiquam esse videri debent, quandoquidè

Christum prophetarum Corypheum. Ne impudentissimus hominum arguit, ac si esset improprie locutus cum augustissimam mensam dominicam institueret. At de his satis: alteri Caluinianæ impudentiæ, qua negat ieiuniū iusu, gratia, fauore & auxilio diuino inceptum & perfectum, opus esse meritorium respondeamus. Christus dominus apud Mattheum cap. 5. abulum ieiunij rescidens, atque verum ac legitimum vsum docens, mercedem & compensationem promittit iis, qui verè & syncerè ieiunabunt, quod quidem non faceret, nisi ieiunium opus esset meritorium. Pater tuus celestis, ait, qui videt te in abscondito, reddet tibi in propatulo. Scimus quidem hæc omnia à liberalitate diuina promanare, quæ opera & dona sua in nobis compensare remunerareque solent. Tertie, & vltimæ propositioni vnica sacræ scripturæ autoritati responsum velim, quæ sic *Ἰα πασῶν* Caluinianæ hæresi opponitur.

Apud Diuum Lucam legimus de Anna vidua filia Phanuelis, quæ non abscedebat à templo ieiuniis & orationibus seruiens Deo, vel colens Deum: Græcè habetur, *μητρίας καὶ δέησει λατρεύσα*. Quidnam *λατρεύσα* significet apud probatos autores & præcipuè sacros, omnibus in confesso est, vnde Iatria ducit originem, quam cultum soli Deo debitum significare, multis in locis docet D. Augustinus. Videmus ergo ieiuniis & orationibus, quæ pœnitentiæ publicæ connecti solent, Deum opti-

num maximum coli. Non abs re igitur Vates  
 tam diligenter ieiunium decernit. Sanctifica-  
 re ieiunium. Hebraicè *ענין שבת*, id est, Dei  
 nomine promulgate, vt vnuiquisque ieiunet:  
 curationem proclamare, indicite cōuentus vel  
 cessationem, & congregare populum. Omnis  
 plebs conueniat in templum domini, quod est  
 orationis domus: non potest enim fieri quin  
 plurimum in vni tate fidei coherentiū vota exau-  
 dianur, quod & nos docuit: Si duo ex vobis  
 consenserint super terram, de omni re quancū-  
 que petierint, fiet illis à patre meo, qui in cæ-  
 lis est. nam vbi sunt duo vel tres in nomine do-  
 mini congregati, ibi in medio eorum existit,  
 qui nos securos reddit, vt quicquid petierimus  
 patrem in nomine ipsius, dabit nobis. Quod  
 si Deus Mosem, Eliam & multos alios exau-  
 dierit, cum ipsi soli aut pro se aut pro aliis ora-  
 rent, quid factum iri non credemus, quando  
 in vnum conuenit Ecclesia in litanis & suppli-  
 cationibus publicis? Singulorum pietas & re-  
 ligio augetur, dum sic vnā congregantur, &  
 diuinæ misericordiæ viscera publicis fontium  
 simul & infantium lachrymis ac clamoribus ci-  
 tius excitantur. Domi quidem orare possumus,  
 tamen fieri non potest, inquit Chrylostomus,  
 vt domi quis tam benè oret, quàm in Ecclesia,  
 vbi tot patres, vbi clamor felici societate  
 excitatus, ad Deum immortalem refertur, non  
 pariter exoras, cum solus dominum obsecras,  
 atque cum tuis fratribus. Est enim in hoc plus  
 aliquid,

*Math. 18.*

*Joan. 14.*

*Crisost de  
 incompren-  
 sibili Dei na-  
 tura contra  
 Arianos  
 Homil. 3.*

aliquid, videlicet concordia, conspiratio, co-  
 pula amoris & charitatis, sacerdotum clamo-  
 res: Præsunt ob eam rem sacerdotes, vt popu-  
 li orationes (quæ infirmiores alioqui per se sūt)  
 validioribus illis sacerdotum coniunctæ simul  
 euehantur. Neque dubitandum est quin gratio-  
 res sint Deo preces, & ad impetrandum quod  
 velis efficaciores, cum cæteris omnis coit & ag-  
 gregatur ad Deum, cum quasi manu facta tem-  
 plum precationibus ambiunt orantes. Grata est  
 hæc vis Deo, sicut scribit Tertulianus quod-  
 que singulis petentibus negaturus fortè fuerat,  
 multorum vnanimitati precantiū, fere tribuit.  
 Fieri nāque dicit Amb. Ecclesiæ contemplatio-  
 ne, vt quod alicui dominus negare posset, ig-  
 noscat: certum vt sit, quod maiore cum fructu  
 Deo supplicatur in Ecclesia, quàm quouis in  
 alio priuato loco. Si decem viri in quinque ci-  
 uitatibus, quas Deus igne consumpsit, reperti  
 fuissent, qui pro reliquo populo orassent, pe-  
 percisset illis, quanto magis ergo cum videt  
 totam Ecclesiam in vnum congregatam, vbi  
 quam plurimi inueniuntur, qui Deum sincere  
 & pure colunt. Verū enim uero non satis existi-  
 mauit Vates Ecclesiam congregare, nisi & ip-  
 sa conueniat sanctificata, pura & casta. Sancti-  
 ficatur verò ieiuniis, orationibus, & in eo, quod  
 impij, profani, & pœnitere nescij ab Ecclesia  
 separantur. Sic Ecclesia Iosue temporibus sancti-  
 ficata fuit, quando Acham, qui furtum com-  
 miserat, peccati sui luit pœnas. Hinc sanctifi-  
 1. Cor. 5.



cationi illudere videtur Apostolus, cum Corinthios hortatur, ut expurgarent vetus fermentum, de fornicatore vel potius incestuoso loquens, ut noua esset conspersio. Sanctificatio ista non amplius curatur. Improbissimi quique modo in Ecclesia impune versantur & degunt: imò sæpe honoratiori loco habentur quàm pij viri: hoc non est Ecclesiam sanctificare. Videmus etiam quid iudicandum sit de his qui sacris cœtibus fastum & luxum ostentant, pessimis cogitationibus indulgent, qui Baccho & Veneri potius seruiunt, quàm Deo vero, qui tandem aliquando pœnas suo scelere dignas dabunt. Post illam Ecclesiæ sanctificationem propheta iubet ut senes cum paruulis, & iis etiam qui adhuc fugunt vbera, ætas sane commiseranda Deique misericordia præcipue digna, congregentur. Sub his duabus speciebus cuiuscunque ætatis, sexus, ordinis denique & loci homines comprehendit. Senes autem primo loco nominat, tum demum paruulos & fugentes vbera: illos quidem ut suo exemplo præcæt cæteris, quos prius suis prauis moribus corruperant, ac deprauarant, neue sacra publica contemnere videantur: hos verò, ut maiores natu paruulorum aspectu commouerentur, & perspicerent quid essent meriti, quando quidem non modo sibiipsis, verum etiam infantibus suis exitium conscuerant. Natura enim comparatum est, ut omnes & sibi & suis bene esse velint. Patrum delicta, inquit Tertulianus, de filiis

exigebat dominus Deus, duritia populi talia *Tertul. lib 2* remedia compellente, ut vel posteritatibus suis *contr a Mar* prospicientes legi diuinæ obedirent. *Quis cionem.* enim non magis filiorum salutem, quàm suam curet? Sed & si benedictio patrum semini quoque eorum destinebatur, sine vllò adhuc merito eius, cur non & reatus patrum in filios quoque redundaret? Sicut gratia, ita & offensã. Interim admonemur omnes sacris cœtibus interesse debere, atque maximè arguendos esse, qui neque cœtus ipsos frequentant, neque suos assuefaciunt, ut pietatis studia sectentur. Hoc etiam in loco mihi videtur Anabaptistarum nefarius error damnari simul atque pelagianorum illi paruulos à sacro Baptismi fonte arcent, isti negant peccatum contrahere præcipue si à parente fidei trahant originem, cum & sacris cœtibus interesse debeant, & à pœnitentia publica ipsi non remoueantur. Talium est, auctore *M. v. b. 19.* Christo, regnum cælorum, quod sane, nisi vnda sacra perfundantur, adipisci non possunt. Diuus Dionysius Apostoli discipulus cap. vltimo Ecclesiasticæ Hierarchiæ hanc doctrinam fuisse Apostolicam tradit. Diuini nostri duces, ait, (Apostolos intelligens) probauerunt infantes quoque ad baptismum recipi. Beatus Ireneus Lib. 2. contra hæreses cap. 39. idem docet. Christus, inquit, venit omnes per semetipsum saluare, omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes & paruulos & pueros, & iuuenes & seniores. Ideo

& per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus, sanctificans infantes, in paruulis paruulus, sanctificans hanc ipsam ætatem. Diuus Cyprianus Episcopus & Martyr lib. 3. epist. 3. simul Anabaptistam & Pelagianum confodit, hoc argumento ducto, vt Dialectici loquuntur, à maiori ad minus. Si grauissimis delictoribus, & in Deum multum ante peccatoribus, cuius postea crediderint, remissio peccatorum datur, & baptismo atque gratia nemo prohibetur: quanto magis non debet prohiberi infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit? Hanc duplicem hæresim damnat Augustinus variis in locis, & præcipuè sermo. 10. de verbis Apost. Portantur ad Ecclesiam paruuli, & si pedibus illuc currere non possunt, alienis pedibus currunt, vt sanentur: accommodat illis mater Ecclesia aliorum pedes vt veniât, aliorum cor vt credant, aliorum linguam vt fateantur, vt quoniam quoddam ægri sunt, alio grauante pergrauentur, sic cum hi sani sunt, alio pro eis confitente saluentur. At vero eò vnde digressi sumus, reuertamur, & residuum textus paucis aperiamus, huic concioni finem imposituri. *Exeat sponsus de conclaui suo, & sponsa de thalamo suo.* Cum pœnitentia serio sit aggradienda, ne se oblectet in cubiculo suo sponsus cum sponsa sua, nec in thalamo suo se exhilaret cum suo sponsa: etiam si lex in nuptia-

lis lætitiæ gratiam daret nuper coniugatis omnium munerum quietem & immunitatem, iubet tamen Deus per vatem vt in aliud tempus suas differant nuptias. Nam cum dominus Deus sese contra nos iratum ostendit, non delitari oportet, quò respiciens Apostolus sponsis ad tempus præscripsit, vt sese continerent ieiunij & orationis causa, eò quod tempus esset contractum & periculosum. A rebus licitis cessare debemus ad tempus citra notam, quam Apostolus inurit iis, qui attendentes spiritibus erroris prohibebant nuptias & cibos, quos Deus creauit. Vrias summoperè laudatur, qui nefas ducebat ad suam vxorem ingredi, cum Israel bello graui & periculoso esset implicitus. Ne igitur in calamitatibus publicis, neque cum pœnitentia indicitur (quam ieiunium & preces comitantur) priuata gaudia sectemur, etiam si alio sunt tempore licita. Si hanc doctrinam propheticam & Apostolicam ad amissim obseruauissemus, non tot tragædiæ de ciborum delectu, ieiuniorum tēporibus, motæ fuissent, sed omnes vnanimi consensu carnis libidinem huiusmodi piis exercitiis frenauissemus, vt carne sic castigata & domita, in spiritu & veritate Deum Patrem per Christum piè sanctè & castè coluissemus, cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

1. Cor. 7

1. Tim. 4

2. Reg. 11.

HOMIL. X.

*Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini & dicent, Parce domine, parce populo tuo: & ne des hereditatem tuam in opprobrium: ut dominentur eis nationes: quare dicunt in populis, Vbi est Deus eorum?*

Heb. 5



**C**UM omnis pontifex ex hominibus assumatur, & pro iisdem constituitur in his, quæ apud Deum agenda sunt, tantum abest ut calamitatis temporibus genio indulgere debeat, ut potius nomine totius Ecclesiæ, quam non minori charitate complecti tenetur quàm pater charissimos liberos, lachrymas, preces & huiusmodi pœnitentiæ appendices primus fundat necesse est. Deus etenim plurimi fecit utique sacerdotum preces, ut qui Christum verum & summum mediatorem typice præmonstrabant, Aaron summus sacerdos ut iram Dei exstingueret, medius inter viuos & mortuos orans euestigiò, cessauit plaga. Merito igitur in ista pœnitentia publica sacerdotes & quicumque in sacris domino ministrant, ut plorent inter templi vestibulum & altare commouentur, quò placetur dominus Deus, & mitius cum populo suo agat quàm

Nemo. 16

per prophetas tandiu minatus fuerat. Vult igitur dicere Vates. Tam frequenti cœtu coacto non muti aut elingues sunt ministri domini, sed publicè orationem instituant, quam postea populus voce subsequatur. Si sponso & sponsæ non liceat gaudiis licitis potiri, quum lachrimis, ieiunio & orationi danda est opera, quid facturi sunt ij qui sacris operantur? Nemo sanè posset arctiori vinculo cum altero iungi quàm sponsus cum sua sponsa, quandoquidem scribitur hominem debere patrem & matrem derelinquere, ut vxori suæ adhæreat, & idcirco Apostolus clamat, hoc sacramentum magnum esse ob significationem vnionis Christi cum ecclesia: veruntamen matrimonij officiis ad tempus cedendum est ut pœnitentiæ operibus vacetur. Sacerdotes ergo qui dum sacra faciebant à mulieribus abstinebant, suo præeant exemplo (quo rudiores magis afficiuntur, quàm doctrina nuda) populum ad simile opus peragendum vehementer excitent. *Inter templum & altare plorabunt sacerdotes.* Locus profecto pœnitentiæ aptus templum est & altare: Vnde Tertuliani etiam temporibus altari pœnitentes adgenuculabantur. Vota populi nomine concipiant ipsi sacerdotes, non quod populus has partes interea negligere debeat. Fateor equidem quòd quanto dignitate superiores sumus, tanto maiorem afflictionis & doloris partem nobis assumere debemus, ait Nazanzenus orat. in plagam

Gen. 2

Eph. 5

Tertul. de pœnitentia.

grandinis, nostro exemplo plebem ad compunctiōne erudientes vitæque sceleratæ correctiōnem, quã utique Dei lenitas virgæque retentio comitatur. Inter vestibulum vel templum & altare lugere nefas fuit, in quo manifestum est maiestatem & sanctitatem templi violatam fore, quam amarè deplorabunt sacerdotes in loco etiam cuius sanctitas ab ipsis custodienda esset: sed vbi desit ministerium (nam succisum est sacrificium & libamen) ibi in loco ministerij sui nihil aliud effecerunt quàm fletus & eulatus maximos edere. *Inter vestibulum & altare, &c.* Vestibulum vel atrium populi locus fuit, altare vero ipsius Dei conspectum referebat, cui sacerdotes ministrabant, ad quod populus accedere non audebat. In Christianorum templis antiquitus fuit propè talis distinctio: Pars præcipua chorus appellabatur, qui solos capiebat clericos, non item Monachos siue Therapeutas, nedum ex laicis vnū: & locus ille cancellis septus erat, vnde in Normania nostra vulgò *Chansel* appellamus. Altera verò pars *Nærs* gallicè *Lanes* dicitur. Olim dum vigebat in Ecclesiã disciplinæ seueritas, iuncta tamen summa cum humanitate, clerici qui ad pœnitentiam publicam non adigebantur vt laici excommunicati, neque ad illam publicè pœnitentium hypoprosin atque præ foribus conculcationem, quibus tamen sua excommunicatio non deerat, choro excludebantur, & sic

à suo officio suspensū, inter laicos in Ecclesiam admittebantur: sed non nisi quibusdam stationum gradibus: Communioni enim laicæ & cōmunioni peregrinæ, quarum quidem canones antiqui meminertunt, adiudicabatur. Hodie verò non modò ex plebe viri infimi, sed & mulieres ipsæ altare temere atque arroganter tangūt, ita vt nullum amplius discrimen cleri & plebis appareat. Longe profectò absimus à publicano illo Euangelico, qui præ foribus procul ab altari stans se indignum iudicabat templum ingredi: quam quidem humilitatem quondam Theodosius ab Ambrosio cædis Theſsalonica admonitus, imitatus est. Verum illuc nostra redeat vnde fluxit oratio: Qui aliis præsumunt & numero publico in ecclesia funguntur, suorum miseria desistere debent, vt pater misericordiarum Deus instar optimi patris lachrimis commotus miseratur. Hieremias populi, quem deus illi dederat, peccata defleuit: Samuel pro Saülis fastidio & arrogantia lachrymatus est: Christus super ciuitatem Hierusalem fleuit, quæ visitationis suæ tempus non agnoscebat. Sacerdotes ergò plorare debuerūt, quibus populus commissus erat. Hoc munus à nemine temerè assumendum erat, nisi tanquam Aaron esset legitime & ritibus ad hoc institutis vocatus. Chore, Dathan, & Abiron illud vsurparūt, sed care soluerunt: nam terra eos vna cum ducentis quinquaginta viris schismati adherentibus viuos absor-

Luc. 18.

Lam. cap. 1.

I. Reg. 15.

Luc. 19.

Hebr. 5.

Num. 16.

buit. Reges Saul & Oſias, qui impensis suis sacerdotium miscebant, pœnas senserunt acerbas. Vindicem Domini manum tandem aliquando experientur ij qui infima summis paria faciunt, omnia turbant & miscent rustici in Germania à nouis nouæ factionis & Euāgelij doctoribus imbuti, quod essent omnes sacerdotes & reges, post bona sacerdotum direpta, tributum principibus pandere reuerunt, & arma contra illos sumpserunt, sed suis impensis vt historia nostri temporis refert: Galli hoc prauum exemplum & audax facinus secuti sunt, ex quò nouam religionem restitutā (si Domino placet) anitē per seſi imprudēter nimis ac impiē complexi sunt. Sacerdotes & Reges christianos esse, etiam & olim synagogā, nemo vnquam dubitauit, modo spiritali & communi tum sacerdotio, tum regali recte intellexerit: Christus enim non eripit mortalia, qui regna dat caelestia. Sed de his satis. Videamus qualem litaniam formulam in istis precibus publicis instituerit. Nomen tetragrammaton, emphasim habet, quod Deum inuocet, qui se Hebraeis verbo suo reuelarat, quod non item aliis gentibus. Tria in orando requiruntur, vt noris quem inuoces, intuearis promissionem, & indignitatem tuam fatearis, quæ quidem omnia Vates hic obseruat. *Parce domine populo tuo.* Caritas quæ nõ querit quæ sua sunt. sacerdotes ita afficere debet vt orent & perent à Domino non fortunarum suarum, quas amise-

1. Pet. 2.  
Exod. 19.

rant, restitutionem, sed vt populo sibi concredito bene esset, pro quo aliquando rationē redditori essent. *Parce Domine.* Reos se fatentur & forte meliori indignos cum spē tamen veniæ, quando quidem Deus nostris malis non delectatur, sed parcere quàm punire mauult, & ideo dicunt, *Parce Domine,* & ne nobiscum ingredi in iudicium: nulla merita allegamus, sed diuinā tantum misericordiam tuam imploramus, qua etſi nõ digni sumus, recordare saltem quod populus tuus sumus, quem tu ipse singulari gratia adoptasti, tuū etiam augustissimum nomē super nos inuocatum est: adhuc tu etiam barbaris gentibus, quæ à vera pietate & sancta religione omnino sunt alienæ, misericordiam tuam largissimos fontes aperis, & ad lucem tuam admirabilem vocas. Parce ergò populo tuo antiquo, ipsumque respice, & ne exponas hereditatem tuam omnium opprobriis & cõuitiis, ita vt gentes nobis dominentur ac illudant. Cùm fames Israëlitica grassabatur, plurimi egrediebatur propter famem peregrinaturi in Ægyptū & Palestinā, quod quidē vertebatur illis in opprobriū, & interea dum illic degebant gentes incircuncisæ dominabatur illis & dictoria (vt Hebræa dictio חמל etiam significat) in eos iactabant: Verum enim uero peregrinatio ista parua fuit, si ad alias res pexerimus, nimirum quando dispergendi essent inter Assyrios, Babylonios, Persas, Medos, & Romanos, qui omnes dominati sunt huic mi-

ferrime & deploratissime Iudæorum genti, tyrannidemque intolerabilem in eos exercuerunt. Quod si patienter tulissent, & abominationibus gèrium non sese miscuissent, ut Daniel, liberi in medio hostiū vixissent, & tandem aliquādo percipisset illis Dominus: Simile patiuntur hodie Christiani sub ditionibus Turcæ pallantes: timeamus nobis ipsi. vereor ne nostra ipsorum æquarint peccata, ne dicam superârint. Ad orationes, deprecationes, lytanias & publicas supplicationes toto animo confugiamus, quarum formulam à vate præscriptam ad amissum obseruemus. In primis cōfiteamur necesse est, nos iuste & merito pati ea, quæ Deus minatur & longe plura, si arctissimo iure nobiscū ageret: nam præceptis eius non obediimus, sanctissimum eius nomē pietas & religio nostra à nobis & inter hereticos & Turcas propter perditos mores nostros opprobriis & contumeliis afficiuntur. Secundò loco Vates fœdus, quod Deus opt. max. cū Ecclesia sua pepigit, in mediū adducit, vocans eam *hereditatem domini*. Pater Filium suū alloquens in Psalmis sic ait. Postula à me & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre: hoc modò in lytaniis præcari solemus. Fili Dei miserere nobis: Hereditatē tibi à patre concessam per vniuersam terram longē latēque patentem ne abiicias, neque in opprobrium atque ignominiam illam dedas. Tertio loco Dei gloriā allegat, quam primū querere debemus, si nobis benè consultum ve-

*Psalm. 2.*

limus. Hoc & decalogi ordo docet, orationis-que Dominicæ series, & communis sensus, qui liberos de parētum fama & honore sollicitos & anxios reddit: Non nobis Domine nō nobis inquebat David, sed nomini tuo da gloriā. Vult igitur vates sic lytanias cōcludere, ac si diceret, Quorsum enim spectat, si non ad sacrosanctum nominis tui ignominiam, quod inter gentes dicturi sunt. Vbi nam nūc est, & quid valet Deus ipsorum. Ego multum vereor ne in litanis nostris has circumstantias minimè obseruemus: tantū abest nos accusemus, ut potius in alios culpam utique reiiciamus, formulæ Ecclesiasticæ immemores, quæ nos sic orate docet, Peccatores te rogamus audi nos: Ionas ut suam inobedientiā eleuaret, non accusauit nautas infideles, genus quidem hominū seuum, impium, & crudele, sed reatū suum fassus dicebat, Propter me ista orta est tēpesta. Proiicite me in mare. Manasses idololatria & prophetarū sanguine pollutus reatum suum agnoscēs veniam cōsecutus est, David adulterium suum & homicidiū commiserat, sed peccatum suum cōfessus, & veniam toto pectore præcatus, absolutus est. Mulieri peccatrici à Christo peccata sua detegenti dictū est: Remittūtur tibi peccata tua: latroni scelera sua non dissimulati & Christo supplicati, ut sui recordaretur, dum veniret in regnum suum, resposum est, hodie mecum eris in paradiso. Accusamus igitur vitia nostra & non alius aliū accuset. Precemur omnes Dominum ne det hære-

*Psalm. 113.*

*IOAN. 1.*

*2. PAR. 33.*

*2. REG. 12.*

*LUC. 7.*

*LUC. 23.*



Isa. 43.

Psal. 78.

ditatem suam, quam non corruptili auro vel argento, sed præcioso sanguine suo redemit in opprobrium Turcæ immanissimo & crudelissimo tyranno, neque hæreticis, quorum linguæ virulentæ filij Dei hæreditatem multò grauius læserunt, quàm tyrannorum omnium & truculentissima supplicia. Prò Deum dicere possumus cù Dauide, Posuisti nos Domine ob scelera nostra, opprobrium vicinis nostris, subannatione & derisum his qui in circuitu nostro sunt. Posuisti nos in Prouerbium seu fabulam gentibus commotioneti capitis in populis. Deus uenerunt gentes in hæreditate tuam, polluerunt sanctum templum tuum, posuerunt Hierusalem in acervos lapidum. At verò Domine Deus auerte furorem tuum à nobis, saltem ne gloriosissimum & sanctissimum nomen tuum protcindatur ab improbis: si tu summo iure velis in nos agere, nec nos misereri propter nos, confule saltem gloriæ nominis tui, ne dicant exteri & alieni à pietate & religione, Vbi est Deus eorum? Ipsi de nobis inquirunt. Si Deum in spiritu & veritate colerent, & si veram, synceram, & germanam religionem retineret, quam per Episcoporum & pastorum legitimorum successione se gloriantur habere, Numquid nam Deus passus fuisset ipsorum altaria destrui, & templa funditus euerti? Habeas rationem gloriæ tuæ, quæ cù salute nostra coniuncta est: qua spe freti nõ desinamus litanias instituere, in quibus patrem de cælis summillè præcābimur in nomine filij sui

vnigeniti, vt nostri (qui sumus hæreditas illiusram carè ab ipso redempta) ille clemēter miseretur, cui laus, honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

## HOMIL. XI.

*Zelatus est Dominus terram suam & pepercit populo suo & respondit Dominus & dixit populo suo, Ecce ecce ego mitto vobis frumentum & vinum & oleum & replebimini eis: & non dabo vos ultra in gentibus: & eum qui ab aquilone est procul faciam à vobis: & expellam eum in terram inimicam & desertam, faciem eius contra mare orientale, & extremum eius usque ad mare nouissimum, & ascendet fator eius, & ascendet putredo eius quia superbè egit.*



Vm ma cù difficultate quis hominibus persuadere potest, vt res arduas, laboriosas & præcipuè carni aduersantes amplectantur, nisi spe quadam maximæ remunerationis eos alluciat: Idcirco Vates noster multa bona forte maiora quàm aliquis sperare fuisset ausus iis qui toto corde resipient, sententiarum grauitate & verborum ponderibus pollicetur. *Zelatus Dominus terram suam.* Zelo commotus est, id est commouebitur, prophético more præteritis futurorum loco vtens, ac si iã res gesta esset. Sciebat

enim Ecclesiæ preces nunquam suo fructu destitui, si modò hæ ab animo fideli, & contrito corde, humiliatõque spiritu profectæ fuerint. Permisit Dominus Deus Iudæos pœnis & supplicii affici quousque suum nomen & gloria detrimentum pateretur. Sed statim vt vidit gētes nimium inhorrescere, zelo commotus est pro terra sua. Non possum in hanc sententiam non induci quin credam Turcæ tyrannidem & hæreticorum rabiem infra paucos annos extinctã iri penitus. Quandoquidem eò insolescentiæ deuenerunt vtrique, vt nomen Dei impune profcindãt. Zelabitur tandem aliquãdo Dominus Deus pro hereditate quam suam non deditur appellare, licet in præfenti scelerum suorum pœnas exolueret. Non statim Deus omnino Ecclesiæ suæ obliuiscitur, etiam si maculis aliquot inficiatur. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Ipsa est columna & fundamentum veritatis. Non relinquet Dominus virgam peccatorum super capita fortunãque iustorum: nec impiorum perpetuo iugo sinet piorum progeniem premi. Non est sapientia, non est prudentia, non est cõsiliu contra Dominum. Durum est Ecclesiæ inimicis contra stimulum calcitrare: Dominus zelum suum semper retinet erga Ecclesiam suam, & illã non minori amore prosequitur quã sponsus suam spõsam. Zeli meminit Vates ad exagerandum & amplificandum diuinum amorem erga suos, etiam si affectiones & passiones in Deum non cadant, quas zelus

Matth. 16.

1. Tim. 3.

Psal. 124.

Prou. 21.

Act. 9.

lus in se continet, & complectitur. Zelus enim consistit in ardētissimo amore, quo maritus erga vxorem ita afficitur, vt illam aut aliis subici, aut ab aliis iniquius tractari non patiatur, ita vt vlciscendæ iniuriæ appetitus ipsi sponsæ illatæ videatur vehementissimo coniungi amoris: Deo vterque maximè conuenit, qui sic dilexit Ecclesiã, vt filium suum vnigenitum daret, cui nõ pepercit, vt eam sibi sanctam redderet, sine vlla prorsus ruga aut macula: Qui enim illã tangunt, pupillam oculi Domini apud Zachariam tãgere dicuntur. Senserunt omnes tyranni & hæretici, quo zelo Ecclesiam suam vindicari: Pharaeum toto suo exercitu, maris rubri fluctibus suffocatus est: Sënacherib Assyriorum, Baltazar Babyloniorum, Artaxerxes, Ochus, qui omnes vires suas ad Ecclesiæ euersionem conuerterãt, imperio exitium attulerunt. Alexãdri successores qui Ecclesię infensi fuerunt, imperium intestinis bellis conuulsu iusto Dei iudicio amiserunt: Nero primus qui Cæsariano gladio in Ecclesiam sequit, furiis agitated mortem sibi cõsciuit turpissimam, suæ vitæ nephãdissimæ vindicæ: Domitianus à domesticis suis, iisque quos manumiserat, septem vulneribus confõllus, miserè interemptus est: Traianus post Tyberis inundationem, diros terræmotus, & vrbium aliquot euersiones, paralisi correptus, aqua intercute tandem emoritur. Adrianus sanguinis fluxu perit, sanguinis iusti iniuste fusi pœnas iustè luens. Antoninus apoplexia necatus est: Seue-

Ephes. 5.  
Zach. 2.

Exod. 14.



rus chiragra & podagra laborans, bellis ciuilibus diu affectus, veneno postulato vitam cum morte mutauit. Maximum cum filio suo adhuc paruulo milites discerpserunt, conclamantes ne ex pessimo genere carulus quidam remaneret: Decius postquam vix duos annos regnasset paludis gurgite submersus est, liberis illius hostili manu interfectis: Valerianus septuaginta annos natus à Sapore Persarum rege bello captus, ferreis cancellis includitur, qui vice scabelli deseruiebat, quoties Rex equum conscendere volebat, atque tandem nimia senectute confectus viuus excoriatur. Taceo Valerium, Diocletianum, Iulianum, apostatam, qui tragicè vitam finierunt vt paucis dicā quo zelo Dominus commotus pro Ecclesia hæreditate sua, de hæreticis pœnas etiam acerbissimas sumpsit. Omittam illud anathema, quo feriebantur olim & inter Sathanæ manus tradebatur, allegaturus duntaxat eos, quos morte turpissima affecerit Dominus Deus, vt cæteris essent terrori. Manes, cuius hæreses resuscitarunt ex orco huiusce tempestatis hæretici, Persicum sustinuit supplicium.

*Niceph. lib. 6. cap. 32.* Persarum enim Rex eum viuum excoriari iussit, qui filij occisi speciem subire visus fuerat, quem citra omnium medicorum opem & operam se sanaturum & curaturum esse impudenter ac temerè pollicitus fuerat. Arriu impietatis suæ diuinum iussit supplicium narrant historici: cum secessum publicum petiisset, facultate retentrice eidem soluta, sedes ipsa profici-

dit, & multus sanguis effuditur, cõstitutio quoque interna corporis omnis vna cum intestinis, hepate & splene diffluit, atque ita ille miserrimo genere mortis perit. A scriptore etiam quodam accepisse narrat Euagrius, modum quò decessit è vita Nestorius, talem fuisse, nimirum eius linguam vermibus exesam esse, sicque eum ex huius vitæ miseriis ad grauiora supplicia iusto Dei iudicio infligenda, eaque sempiterna migrasse. Mors sanè talibus viris digna! Sic profectò tali zelo commouetur Deus pro terra sua: Quoniam notus in Iudæa erat Deus, & in illa terra purus Dei cultus in vnitae fidei seruabatur, iustam illius terræ testatus est zelotypiam. Quo loco animaduertere debemus pietatem, religionem & cultum diuinum: imperia, regna, & respublicas incolumes seruare. Quod si à religione defecerimus, de rerumpublicarum etiã statu actum est. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, & pro ea zelo commotus fuerit, frustratur omnes vigiliæ & conatus nostri. Quum in Gallia cultus diuinus vigit, & doctrinis peregrinis patulas aures nõ præbuimus, regnum armis & opibus maximum & florentissimū extitit, ab eo verò tempore, quo deficere ab auita religione cœpimus, pròh Deum immortalem! quot quantasque clades & ruinas passi sumus? Deus super Iudæorum terram æmulatus miraculis eam claram fecit, donec Christum & Euangelium ipsius reiecerunt: miracula vsque ad aduentum Domini in templo Hierosolymita-

no claruerunt, vt de ouali siue pecuali piscina videre licet, cuius aqua ministerio Angeli mota curabat eum, qui primus in piscinam proiciebatur, quocūque morbo affectum, Sic in Gallia Reges Christianissimi oleo sacro peruncti ex more pristino, strumis laborātes curarunt. Angliæ reges etiam priusquam à fide desciscerent, solo tactu morbo comitiali medebantur. Hæc indicia sunt summi erga Christianos amoris, & quod tandem Deus populi sui meserebitur. Ad hæc etiam illud nos maxima perfundit lætitia, quod Deus opt. Max. in mediis afflictionibus (& vt Græci dicunt Θεός ἀπὸ μηχανῆς ἔτιφαιε) diligat nos & zelo commotus, de tortoribus nostris vltionem sumere velit, postquam castigatos & emendatos viderit. Vt autem populum hunc fere exanimatum Assiriaci belli timore suæ reconciliationis securum redderet Vates, Deum respondentem inducit, qui dixit propter populum suum:

*Ecce ego mitto vobis frumentum, & mustum & oleum,* idque satis superque ad saturitatem & cumularas copias. sub his tribus generibus quicquid vitę humanę necessarium est, complectitur. Resipiscentibus enim & conuersis comiter responderet Deus, vt per Natham Dauidi, Translatum est peccatum tuum. Regi Achab per Eliam, quod Deus non induceret malum in diebus eius. Regi Ezechie per Esaiam, quod quindécim anni adiicerentur ei. Vbi pœnitere nesciis duriter respondetur, & maxime in die iudicij,

2. Reg. 12.

3. Reg. 21.

4. Reg. 20.

quando dicitur illis, Ite maledicti in ignem *Matth. 25.* æternum. Veruntamen cum hoc difficile creditu esset, vt tam benignè se gereret Dominus erga populum istum, eò quod vates proximis diebus iusserat, vt omnes ad cladem subeundam se pararent, insecta terræ prouentus consumpserant, nihilominus, ait, simul ac conceperitis preces vestras, sciatis exaudiri, quod ab effectis perspicuè intelligetis.

*Nam dabo vobis frumentum, &c.* Quasi diceret, Scitote eum qui feras per deserta pascit, & dat escam coruorum pullis, mille modos tenere, quibus Ecclesiæ suæ succurrat, si modo non simulare conuertatur. Patres vestros in desertis pauerat quadraginta annis, qui nec ferebant, nec metebant. Tempore famis Eliam coruorum ministerio aluit, & innumeros alios. Illud *Exod. 16.* accurata etiam animaduersione dignum est, *3. Reg. 17.* quod Deus dixit, *Ecce ego vobis mittam, &c.* ac si diceret, Vanus & irritus esset labor vester, nisi manum apponerem, & sationi vestræ benedicerem. Solet enim Deus scelera nostra, rerum temporalium subtractione vlcisci, quæ si resipuerimus, abundantius & cumularius reddit, quod quidem in Iobo & Filio prodigo videre licet. Quoniam verò magis opus est frumento, quo animi firmentur, vino & oleo, quibus exhilarentur, & ad certamen reddatur alacrioris, quàm illis externis, quæ ad corpus duntaxat pertinent, hæc intelligere possumus de pane caelesti, id est, verbo Dei & sacramentis, quibus

*Tertul. de  
resurrect.  
&c.*

animæ nostræ in catholica Ecclesia quotidie reficiuntur, vt perpulchrè docet Tertulianus: Caro abluitur, inquit, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima cõsecratur: Caro signatur, vt anima muniatur: Caro manuum impositione adumbratur, vt & anima spiritu illuminetur: Caro corpore & sanguine Christi vescitur: vt & anima de Deo saginetur: Scio equidem ista omnia hæreticis & Turcis ridicula visum iri, sed dummodo his firmiter inhæreamus, non exponet nos amplius Dominus Deus ipsorum opprobriis & conuitiis, quod Ecclesiæ Iudæorum per vatem pollicetur. *Et non dabo vos vltra opprobrium in gentibus*, id est, vt probro afficiamini inter ipsas gentes: liberabo vos à seruitute in quam incideratis propter annonæ penuriam. Prius conquesti fuerant quod Dei gloria periclitaretur, si hæreditatem suam famelicam vagari per gentes sineret, & ideo pollicetur illis se non vltra permissurum, quia sic magis timeunt gloriam Dei in discrimen venire, quàm personas proprias, filios ingenuos & liberaliter educatos imitati, qui mille mortes potius subire vellent, quàm suis perditis moribus parentum famam imminuere, & ideo benè consultum illis fuit iuxta verbum Dei, qui honore afficit eos, qui ipsam honorauerunt. Si velimus ergo consequi honorem, cum primis Deum honoramus, Temporibus elapsis cum religionem autam ad amissim tenebamus, colentes Deum in vnitæte fidei, omni schismate procul reiecto,

*1. Reg. 2.*

omnes gallica ingenia colebant, suspiciebant & venerabantur: Sed modo quos in libertatem quondam (Germanos cæterosque externos populos intelligo) asseruimus, immaniter patriam nostram vastant ac depopulantur: Deus inglorios & contempribiles reddit eos, qui gloriam ipsius cõtenuunt, vt de Sennacherib & toto ipsius exercitu constat, quem Dominus procul abegit, & eiecit ad terram tortidam & desertam: Ita enim dispersit collectas vires Assyriorum, quæ Iudæorum populo terrori erant, vt aciei faciem, id est anteriorem partem ad mare orientale dispulerit, & eiusdem finem vel posteriorem partem in occiduas mundi partes. In his certè apparet quàm debiles sint hominum vires, & vana consilia, quæ Deus dicto citius diffipat, vt de his etiam qui turrim Seennar ædificarunt videre licet. Aquilonarem exercitum vocat Assirios Vates noster: Illi namque Iudæis ad Aquilonem siti sunt: Ab ista parte pendebar omne malum, seria sed vitiorum pœnitentia procul auersum est. A Germanis hæreticis qui nobis ad Septentrionem siti sunt, plurima mala perpeffi sumus: Sed caueant sibi, ne quis ipsis crudelior & inhumanior illos disperdat, & in vltimas terras deportet: consultius enim facerent si Turcis, qui Vngariam occupant, fortiter occurrerent, quam bella ciuilia Gallica tandiu fouerent. Facile autem credi potest eos, qui ex clade per Angelum facta euaserat, horribili ter-

h iij

rore exagitados hac & illac fuisse dispersos iuxta præsens vaticinium: *Et ascendet fœtor eius, ascendetque putredo eius quia insolenter egit.* Hæc intelligi possunt de exercitu locustarum fame morientium, quæ magnoperè nocuerant, & maximum damnum attulerant terræ frugibus: aut de cadaueribus militum ministerio Angeli occisorum, vel potius de infami nominis Sennacherib memoria, quam solam ex tantis conatibus post se reliquit, quia nimium crudeliter in Dei populum sæuierat. Tyrannorum sanè exitus hîc pulchrè describitur. Cùm enim sint omnibus terræ partibus terrori, & velint his artibus famiam perpetuam sibi comparare, nihil post se relinquunt, ni si fœtorem, dedecus, & labem impurissimæ vitæ, huius rei fidem faciunt Nimbroth, Cyrus, Antiochus, Herodes & alij ferè innumerabiles, quos in salutem Ecclesiæ Dominus Deus perdidit, cui laus, honor & gloria in sæcula seculorum, Amen.

## HOMIL. XII.

*Noli timere terra, exulta & latare: quoniam magnificauit Dominus vt faceret. Nolite timere animalia regionis, quia germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus & vinea dederunt virtutem suam. Et filia Sion exultate, & letamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet dominus ad vos imbrem matutinum, & serotinum sicut in principio. Et implebuntur area frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo. Et reddat vobis annos quos comedit locusta, bruchus & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna quam misi in vos.*



Vemadmodum iis, quibus infensus est dominus Deus, omnia malè succedunt, & nihil exsententia, sic contrà quibuscum gratiam iniit & reconciliatur, omnia arrident & secunda eueniunt, ex quibus & si nocentia quædam videantur, in bonum tamen bonis cooperantur. Superioribus concionibus audiuius quomodo minabatur Deus iratus vindictam suam exercere in bestias & terram ipsam, nunc verò reconciliatus per pœnitentiam, eleganti vsus propopeia terram & bestias alloquitur, ac si rationis & intelligentiæ non essent expertes, & easdem exultare vehementer lætarique iubet. Ne quid iam timueris terra, quin potius exulta, Rom. 8

gaude & letare: nam dominus nunc tandem benignè & clementer tecum acturus est impendens belli Assyriaci periculum, quod vates multis verbis & variis exemplis exaggerauerat, populum adhuc dubium & anxium tenebat, & ideo eorum infirmitati sic consultum debuit, vt nimirum terræ lætam faciem atque felicitatem rerum omnium conditionem promitteret. A consolatione exordiri oportuit, alias Iudæi nullum gaudium concipere poterant, nisi timore excusso, cui penitus succubuerunt. Igitur dicit vates: *Noli timere terra, Exulta & letare: quoniam se magnificè extulit Iehoua ad faciendum, i. Præclara siquidè admiranda & gloriosa Deus omnipotens perficiet opera. Hunc esse Dei morem sapius experimur, vt Ecclesiæ hostes aliquando sæuire sinat, & quasi ipsorum conatibus fauere & coniuere videatur. Postquam verò ad tempus se continuit, expectans quorsum tendant impia, superba, & nepharia eorum consilia, tandem sese generosissimè effert, & lætam pacem suæ Ecclesiæ concedit, supplicium extremum de tyrannis sumens. Qua de re bestiarum ratione & iudicio carètes timorem excutient, vt pote cum Deo propitio reddito, sentiēt amœna loca deserti florentissimè virere, atque quàm pulcherrimè germinare: arbores etiam à gaudio & lætitia non erunt immunes, quia profèrent fructus suos, vitis item & ficus per quàm benignè ferent fructum. Satis videretur terræ imperasse, vt exsultaret & lætaretur, sed vt fru-*

ctus reconciliationis vberior appareret, & longè lætèque pateret, speciatim bestias & arbores ad lætitiā compellat. Hinc colligere possumus nullum in sterilitate ceterisque mortalium incommodis salutare esse remedium, donec Deum propitium nobis per pœnitentiā reddiderimus. Temporibus Achabi, fami & inædiæ, quæ tribus annis & sex mensibus terram Israel affligerat tale remediū attributum est. Et vt paucis dicam, Deo irato terra ipsa armatur vt iudicium dei exequatur: sed reconciliato, cuncta nobis obsequuntur, vt per istam Anthiresim pulcherrimè à Vate ostensum est: vbi tot benedictiones, quot supra maledictiones immittere dominus dicitur. Et quoniam nulla benedictio, neque plena & perfecta reconciliatio vnquam haberi potuit, nisi per Christum angelorum & hominum seruatorem, huius meminit Vates, quem doctorem iustitiæ dicit à Iehoua Deo nostro nobis datum. Fuit semen *Gen. 3* illud benedictum, in quo benedicendæ erant omnes familiæ terræ sua natura quondam fertilis, sed culpa sterilis & vitio corruptæ, tandem à maledicto liberandæ, ex quo filij Syonis exultandi & lætandi plurimam causam habent. Hinc est quod vates ait, *Et filii Sion exultate, & gaudete in domino Deo vestro. In domino*, inquit, vt auctorem huius gaudii indicet, non homines aut angelos, sed Deum. In aliis beneficiis, angelorum aut hominum ministerio Deus vitur, vt Mose, Iosua, Gedeone, Samsonè, & aliis: item

angelo in lege danda, in occidendis primogenitis Ægypti, in obsidione Hierusalem: at hinc nullius ministerio vsurus Deus, per se populo aderit, & benefaciet: Ideo inquit, *Gaudete in domino Deo vestro*, &c. Si campi, terræque vestrae planities lætitia afficiuntur, solo naturæ instinctu sentiunt Dei furorem auersum esse, quanto magis vos decet totos lætitia perfundi ô filij Syonis? Sed ne quis de luxu & mundi gaudio (quo nimis intemperanter homines abuti & in omnem licentiam effundi solent, quando annonæ copia & vbertas illis abundè suppeditatur) intelligeret, quale gaudium esse debeat Vates docet, nimirum in domino: ac si diceret, Fideles sese studiosissime exercent in Psalmis, Hymnis & canticis spiritualibus, modum tamen omnibus in rebus adhibeant, & limites nobis præfixos non excedant. Diuus Hieronimus cõqueritur de his, qui in martyrum memoriis gula & ebrietate Deum colere arbitrabantur, quem beatissimi martyres ieiuniis & aliis pietatis exercitiis coluerant. Apostolus ostendit quonam pacto gaudere oporteat: *Gaudete in domino*, iterum dico gaudete, ita vt tamen modestia nostra nota sit omnibus hominibus. Sed rationem attendamus ob quã tam diligenter filij Syonis gaudere & exultari habeant, quia dedit ipsis pater doctorem iustitiæ. Longè profecto maiorem occasionem lætandi & exultandi habuerunt, quàm animalia rationis & intelligentiæ prorsus expertia, quæ campos à locusta,

*Phil. 4*

bruco, eruca, & rubigine olim depastos, nunc vero virentes, tantummodo sentiunt, cum multo plura Deus in gratiam populi sui sit factururus, qui non solum temporalia, sed spiritualia etiam bona ei sit largiturus: quippe qui daturus erat doctorem illum ad iustitiam, id est, vt iustificeretur per ipsum: ac si Deus Pater diceret, Demissurus vobis sum ex illo doctore bonam ac modis omnibus salutarem doctrinam & necessariam, qua iustitiæ moribusque piis sic reuiuiscatis, vt terra siccitate fere exarida ad pluuiam reuirefcit diu dilatam & intermissam: aut vt seges, quæ plenis spicis siti flaccescens, pluuiam immissa ad iustam peruenit maturitatem & perfectionem. His prophetarum vocibus excitari piorum animi, diem Christi videre optarunt, veluti Abraham qui illum vidit & gauisus est. Cum enim Christus natus est, & Baptista pœnitentiã in deserto prædicauit, hæc propheta impleri cœpit, postquam diu expectatum esset Mosi doctor ille iustitiæ: & non peccati, vt ipse Moses, reuelatus fuit vt Dei nomine sic Synagogam affaretur. Prophetã suscitabo de medio fratrum vestrorum ipsum vt me audiatis: Danieli ipsius doctoris venturi tempus præsignificatum est, ac regi Achas cõceptionis & natiuitatis ipsius datum fuit signum. Sui muneris & officij præludia dedit annos duodecim durtaxat natus, obscuriores prophetarum locos in synagogis interpretabatur, & palam docebat in templo, cuius singula ver-

*Ioan. 8*

*Deu. 18*

*Dan. 9*

*Isa. 7*

*Luc. 2*

*Luc. 4*

*Ioan. 6*

*Matth. 25* ba spiritus & vita erant : in postremo iudicio reddenda ratio est coram illo doctore de talētis nobis benignè creditis, & ab eodem ipso commissis. In Euangelio vox paterna audita fuerat de cælo, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Quod si prophete & doctores, quales extiterunt Eldras, Aggæus, Malachias & cæteri, quos post redditum ab exilio habuit Ecclesia, erudiant & doceant homines iustitiam, non tamen ut Christus illos, quos docent, iustificare possunt. *I. Cor. 3* Illi quidem plantant & rigant, ipse vero incrementum dat. Dictio hebræa אמתא qua vates vitur, doctorem & pluuiam significat : quoniam vero ex his quæ præcedunt & sequuntur scripturas interpretari debeamus, doctorem vertit interpres, Christum intelligens, cuius gratia & favore spiritus sanctus longe abundantius quàm antea Ecclesiæ communicatus est, & huius in proximè sequentibus vates meminerit. Adnotabimus interea inter doctorem & pluuiam multum esse analogiæ, nam ut pluuiam à cælo mittitur, sic etiam bonus doctor Dei donum est, & ut in terram siccam non sine fructu descendit pluuiam, sic semper in Ecclesia certus verbi est diuini fructus : & quemadmodum terra non irrigua sterilis & infrugifera manet, ita homines sine doctore, qui sanam doctrinam (quam per Isayam Deus pluuiæ cōfert) doceat, non solum steriles & infructuosi, quin potius perditii omnino euadunt & impij.

Qui verò hac sanà doctrina (quæ ut instar pluuiæ concreveret, exoptulauit Moses) irrigui sunt, & nihilominus spinas, tribulósque proferunt, sunt re vera maledictioni proximi. Aliqui interpretes hunc locum sic intelligunt, ac si vates diceret, Famem & bellum, quibus Iudæorum populus edocebatur legi, & prophetarum monitis fideliter obtemperare, loco doctoris dari, ut iustum esse Deum intelligeret, qui pietatis & religionis contemptores nunquam sinit inultos, hinc discere debemus afflictiones, quas patimur, instar doctorum nobis dari, ut illis eruditi & castigati ad deum reueramur, qui nobis Christum verum iustitiæ doctorem exhibuit. Nos parum hætenus profecimus persecutionibus hæreticorum, quos necessario futuros Apostolus pronunciauit, ut qui probandi erant talibus magistris, toti mundo, & sanctis omnibus manifesti fierent. *I. Cor. 13* Ut autem intelligeremus afflictiones non esse perpetuas quas per doctorem nostrum, qui vbique pœnitentiã docet, facile sufferre possimus, addit. *Et descendere faciet pluuiam : pluuiam tempestiuam & pluuiam serotinam in mense primo.* Agricultura qua nihil est melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius, duabus pluuiis maxime opus habet, utpote mense decembri post sationem, ut semina germinare & radices agere possint, quam græci *τοπώσιμον*, id est, primi temporis, primogeneam vel tempestiuam vocaremus, ad quod Iacobus in sua *Iacob. 5*

canonica sapienter alludere videtur. Deinde illo mense quo maturefcunt fruges ( in callidis regionibus mense Martio, & apud nos Julio ) ne plenis spicis siti flaccescant, vel æstu nimio grana extorreatur, quam *ἡ ψυμὸν* serotinam appellamus. Pollicetur ergo dominus deus per iustitiæ doctorem se Iudæis daturum pluuiam & mense Septembri & mense Martio, id est suppeditaturum omnia necessaria, non solum crassa illa temporalia, sed multo etiam magis spiritalia: quod & Christus nobis in Euangelio promisit, si regnū Dei primū quæreremus, & iustitiā eius. Vnde Apostolis, qui propter illum ipsum lubentē reliquerant omnia, petiit in cœna, si quid defuisset eis, quos miserat sine pera, baculo & pecunia in zonis, qui responderunt nihil omnino sibi vsquam defuisse. Si ergo tempestates & terræ proventus v otis nostris non respondeant, sciamus Deum nobis iratum esse, & nos superioribus annis suam benedictionem minime agnouisse, quæ nos adeo diuites effecerat, vt quemadmodum hoc in loco promittit Iudæis, horrea nostra frumento impleuisset, & torcularia vino atque oleo diffluere fecisset. Illud interea notatione dignum est, quod lex magis famem accendat quàm sedat, animos anxios relinquens: at verò euangelium est cibus verè solidus, famem omnino tollens, & animum potius quàm stomachum plenè perfectèque explens atque satiens.

*Et implebuntur horrea frumento, &c. Bonorum istorum*

*Matth. 6*

*Luc. 22*

istorum temporalium largitate & abundantia, maximarum rerum aliarum; vt pote spiritalium copia expectanda & speranda esse, quia pluris rebus omnibus facere debent Christiani, qui hoc mundo vti habent, perinde ac si non vterentur. Porro tanta succedentium annorum futura est abundantia vt Deus dānum refarcire polliceatur, quod perpeffi fuerant ab insectorum generibus. *Et pensabo vobis annos*, id est fructus annorum quatuor quos comedit locusta, & brucus, & rubigo, & eruca, exercitus ille magnus, quem iratus in vos misi, animalcula illa, insecta vilissima quæ segetes & arbores perniciose depascunt & corroduunt, Deus appellat exercitum suum & fortitudinem suam, nec temerè, nam si videantur infirmissima, constituant tamen agmina, quæ maiori cum difficultate ab agris, quos longe latèque populantur, eiici possunt quàm militum acies etiam fortissima & maxime instructa. Solet enim suā insignem ostendere fortitudinem deus his tenuissimis & infirmis bestiolis fastum, arrogantiam & superbiam hominum perdomando. Vermes potentem & superbum Antiochū, immanemque illum tyrannum Herodem viuos lethaliter corroserunt. Muscæ, ranæ, locustæ & culices ita Pharaonem & omnes ægyptios afflixerunt, vt cum vniuerso æquitatu, quo ceteris præualebant, resistere non valuerint. Philistæi bella docti & qui in acie bellicosos hebræos vincebant, aduersus mures quibus

*1. Cor. 7*

*2. Mac. 9*

*Exod. 8*

*1. Reg. 5*



Deus illos in Azoto propter archam suam afflixit) consistere non potuerunt. Quod si dominus Deus vilissimis & minutissimis animalculis potest adedò superbos & arrogantes tyrannos prosternere, quorsum igitur cõsternati turcarum & hæreticorum vim atque rabiem cum suis illis validissimis exercitibus reformidabimus. Nonne legimus bene instructos exercitus & iã ad cõgrediendum paratos leporis omniũ animãtum timidissimi cursu deterritos in fugã sese dedisse? Non ergo metuamus ac vereamur illos, etiam si Christianorũ acies maximis illis viribus impar esse videatur. Infirmã siquidem mũdi eligit Deus vt fortia cõfundat. Dauid adhuc adolescentulus armorum impotẽs, goliath immanem illum gigantem suis viribus effrenatum, sibi que præfidẽtem solo ipsius domini nomine diuinitus prostrauit atque interfecit: malediãt, inquiebat, miser & calamitosus ille, qui suam omnem spem fiduciãque in solo mortali homine collocat. Nõ in fortitudine equi voluptatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitũ erit ei, vel vt aliquis paraphrasticẽ vertit, neque magnanimũ delectat robur equorũ, nec vis ferocis aut lacertus militis: sed pietas animi simplex, & in illius vna quæ spem salutis collocet clementia. Qui verò habitãt in adiutorio altissimi in protectione Dei cæli commorentur: quippe qui vermiculis etiã monarcharum indomitã vim debellare facile potest, nedũ forti, strenuo, atque bellicoso exercitu ipsorum furorem &

I. Cor. I.

I. Reg. 17

Psal. 117

Psal. 146

Psal. 90

petulentiã frãgere & prorsus comminuere. quãtuobrẽ sedulo totã spem nostrã in illo reponamus, qui victoriã & triũphum nobis in Christo dabit, cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

## HOMIL. XIII.

*Et comedetis vescentes & saturabimini: & laudabitis nomen domini dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum, & non confundetur populus meus in sempiternum. Et scietis quia in medio Israel ego sum: & ego dominus Deus vester, & non est amplius: & non confundetur populus meus in æternum.*

**E**T si dominus Deus ex omni parte beatus nostris: officii non indiget, postquam tamen nos suis bonis cumulauerit, & iis modestẽ sicut decet, vsi fuerimus, id exigit duntaxat, vt suorum beneficiorum memores, gratias ei habeamus immortales, nomẽque ipsius celebremus, quod maximẽ admirabilia nobis permulta fecerit: illud solum fuit, quod vates exquisiuit à Iudæis, quibus tanta omnium frugum vberitas & copia promittebatur, vt damno superiorum quatuor annorum refarcito, possent etiam ex reliquo ædere, idque ad saturitatem. Assatim comedetis, atque satiati laudabitis nomen Dei vestri, qui mirifice vobis egit, id est mirificis beneficiis ad miraculum vsque vos affecit. Non dubito quin ista iuxta alteram adimplera fuerint in Iudaico populo, sed per Chri-

Matth. 8

stum in Ecclesia longe perfectiori modo complenda erant. Mensa profecto extruenda & lautissimum conuiuium instituendum erat, ubi multi ab oriente & occidente venturi, vt recuberent cum Abraham, Isaaco & Iacobo, cuius qui participes fuerint, & panem comederint, beati meritò nuncupantur: nam vescentes perfectè saturantur. Mensam istam multo cumulatoribus bonis Christus beavit quàm vnquam Adami vitio amiseramus. Hic perpetua Dei præsentiâ quæ nos libentes sustineat, promittitur: res sine dubio per Christum, vt in sequentibus dicemus, in Ecclesia planè præstita. *Et comedetis comedendo & vos satietis.* Pacem vti que & annonæ copiam pollicetur Deus, non quidem vt ipsis abutamur, sed vt alta pace fruētes & terræ bonis sariati ipsius nomen, id est potentiam & bonitatem laudemus. At prò deū omnes ferè gula & gastrimargiæ student, ita vt Epicuri, & Aristipi discipulos potius diceres eos qui Christianos se iactitant, quàm Christi, ipse enim prohibuit ne corda nostra grauentur vino & crapula, sed frugaliter suis donis vramur cū gratiarum actione, vt suo exemplo verbòque sapissime nos docuit. Non in solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei. Monstrum haberetur inquit Tertulianus aduersus Pſichicos, libido sine gula, cum hæc duo tam vnita atque concreta sint, vt si dissociari omnino potuissent, ipsi prius ventri pudenda non adhererent. Nisi enim alia felicitas quàm ea quæ est in cibo & potu nobis

Luc. 21

Deu. 8

Luc. 4

proponeretur, quæ essent ista miracula quæ Deus cum populo suo acturus est? alio rem igitur sensum latentem & crassioribus Iudæis absconditum in promissionibus istis, tempore messæ implendis quæramus. Nonne solem suum Deus oriri facit super bonos & malos? Pluere super iustos & iniustos? *Non contingit aliquando sceleratos & impios delicatius & lautius foueri & pasci, quàm studiosos, pios, & religionis amantes.* Ne solliciti sumus dicentes cum Ethnicis, *Quid manducamus aut quid bibimus?* pater noster qui auriculas non serentes nec inctentes, neque in horrea cōgregantes pascit necessaria suis seruulis ministrabit, idque ad futuritatem. *Iunior fui,* inquit *Dauid, & iunior, sed nunquam vidi iustum derelictum, neque liberos eius querentes panem.* Ex nostri ergo doctoris institutione bonis vndique impleamur operibus, areas nostras frumento plenas, & torcularia musto & oleo redundantia non tanti facientes. Varia etiam simus in proximos beneficentia, & fructu doctor ille iustus & verus per denunciatum nobis euangelium sarciet, ac delebit omnia nobis peccata & incommoda mala, quæ per Sathanam, carnem, & mundum accepimus, idque sui ipsius immaculato sanguine cuncta repurgans, abluens, ac delens. Implet quoque sua iustitia esuriētes, vt laudent nomen suum, ob id quia multa mirificè ipsis fecerit, ita vt non confundantur qui Dei populus sunt, in æternum. *Quod autem ista, intelligi debeant de Ecclesia*

Matth. 5

Luc. 12.

Psal. 36.

Ioan. 19.  
Hebr. 7.

Rom. 11.

Matth. 21.  
oc. 117

Matth. 16.

fatis constat, quoniam Iudæi secundum carnem omnium ludibrio sunt expositi, & horribiliter confusi, ab eò præcipue tempore, quo iustitia doctorem coram Pilato reiecerunt, dicentes, Non habemus regem nisi Cæsarem. Insuper lex etiam confundit, quia ad perfectionem non adducit, vbi euangelium credentium animos ingenti gaudio replet. Sciamus interim vt Iudæos olim sic nos modo ex gratia in Christo electos: Quod si propriis ramis non pepercerit, quò ob incredulitatem exciderentur, timeamus nobis ipsis, qui olæastri eramus, & inserti in bonâ oliuam, ne simile nobis accidat, nimirum vt à nobis regnum auferatur & alteri genti tradatur, quæ copiosiores & vberiores fructus ædet. Nò confunderetur neque pudefiet intereà Ecclesia catholica in perpetuum: portæ inferi non præualebunt aduersus eam: illa siquidem affligi, deleri verò nunquam potest. Sanguis Christianorum semen est, dicebat Tertulianus. Cùm enim metimur, tunc multiplicamur. Nòne deus inter tot hereticorum insidias & horribiles tyrannorum conatus, Ecclesiam suam hactenus protegit ac conseruauit, ne pudefieret in sempiternum? *Et scietis quia in medio Israel ego sum.* Etiam si hominès nati sunt ad habendam accepti beneficij gratiam, vix tamen eò perducì possunt. Hinc est vt Vates in hoc totus sit, quò demonstrat quãtis beneficijs Deus illos cumulauerit. Nò enim vulgaria fuère, quæ ipsis sunt exhibita. Nonne parum fuit terram ab insectis purgari, omnem

metum ab hoste externo adimi, horràa & torcularia frumèto, vino & oleo repleri? his agnoscere poterant Deum habere propitium, atque in medio populi sui Israëlitiçi consistere, & quantum sit discriminis inter Deum nobis infensum & placatum. Dum nobis infensus est, cælum & terram contra nos armat, per pœnitentiam vero placatus creaturis omnibus imperat, vt nobis subseruiant & obsequentur, Angelis etiam ipsis qui administratori j spiritus *Heb. 1* sunt, in ministerium missi propter eos qui capiunt hæreditatem salutis. *Quandiu Deum retinuimus in Ecclesia, verbum ipsius syncerè prædicando, & sacramenta ritu catholico ministrando, ac quasi illum cogentes diximus, Mane nobiscum domine quoniam iam inclinata est dies, & finis sæculi aduentat, ouium bonorum abundantia fruebamur. Cùm verò hæreses, doctrinas nouas & impias impune permisimus, tanta mala perpessi sumus, vt nesciam an vnquam Gallia talia sit experta. Opus esset modo pœnitentia, & vt pristinam Ecclesiæ disciplinam restitueremus. Nam tunc experimento sentiremus Deum nobiscum esse, quemadmodum in *Matth. 28* Euangelio promisit, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Sed ad rem redeamus. Vult dicere Deus, Memor sum fœderis quod pepigi cum patribus, vt propter illud sciat me vobiscum mirifice agere. Absque enim gloria meâ quæ in medio vestri est, non hæc cõtigissent. Significat etiam in nouo testamento,*

Luc. 24

alio modo habitaturum in Israel, quam hactenus in domo sua habitasset, quod conceptus de Spiritu sancto, Natus ex virgine carne nostra vestitus verbum caro factus, vt Euagelista scripsit habitauit in nobis. Multis ac variis modis in medio Ecclesie esse dicitur. Primo quadam singulari & particulari prouidentia, qua ipsam regit, gubernat, protegit, tuetur ac defendit, & de omnibus, quae necessaria sunt ad conseruationem illius & salutem pertinent, curiose & solerter prouidet. Altero modo dicitur esse in nobis per gratiam inherentem quidem & non sola imputatione, vt haeretici blaterant, huius gratiae. Apostolus meminit Rom. 5. dicens, illam diffusam esse in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, vt tanquam in templis suis non corporaliter, sed per fidem & charitatem inhabitet, quemadmodum scite docet Hylarius: habitat Deus in religiosorum mentibus, non corporali aditu, neque naturae grauioris ingressu, vt alibi non degenis illic tantum, quo se intulerit, insistat, sed spirituali virtute in vacua se à terrenis laboribus corda permittit, seque luminis modo, in parentibus innocentiae foribus mentes illuminaturus, infundit. Huic attipulatur Cyrillus. quauis his, inquit, quae creata sunt quatenus & sunt, & creata sunt per praesentiam, potentiam & essentiam suam Deus esse dicatur, sola sunt mentes piorum, in quibus non solum esse, verum etiam habitare per gratiam, hoc est quod ab Augustino scriptum legimus. Fatendum est, Deum vbique esse,

per diuinitatis praesentiam, sed non vbique per habitationis gratiam. Aliter in bonis est, ait Bernadus, quam in malis, per efficaciam. Ita sane est in irrationalibus creaturis, vt tamen non capiatur ab ipsis, à rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed à bonis tantum capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, vt etiam sit eum ipsis propter concordiam voluntatis. In consiliis etiam aecumenicis ita assistere dicitur, vt in his, quae sunt fidei & morum, errare consilia non possint iuxta scripturae auctoritatem. Ego vobiscum sum vsque ad consummationem saeculi. Et vbicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum. Quare Diuis Gregorius perinde fidem dicit se quatuor primis conciliis, Niceno, Ephesino, Constantinopolitano, & Calcedonensi adhibere, ac quatuor etiam euangelistis. Cum autem de similibus eadem sit ratio, nemini dubium esse debet, omnia quae in aliis conciliis vniuersalibus determinata sunt verissima esse. Ex his enim colligimus Deum in medio Ecclesiae esse, tum in Christo tum in Spiritu sancto, de quo plura in sequentibus disseremus. Non dixit Christus vobiscum sum ad tempus tantum, sed vsque ad consummationem saeculi. Vere ingens consolatio & notari dignissima. Vere igitur cum sapiente exclaimare licet: In omnibus o Domine, magnificasti populum tuum, & honorasti, & non despexisti, in omni tempore, & in omni loco assistens ei, hoc prauidens Ezechiel, cum

*Isa. 62.* nouam illam Hierusalem describeret, dicebat, Et nomen ciuitatis ex illa die, dominus ibidem. Et Esayas, Non vltra vocaberis derelicta, & terra tua non amplius vocabitur desolata, quia complacuit Domino in te. Confidentissimè igitur cum Dauide dicere possumus, In Deo faciemus virtutem, & ad nihilum rediget inimicos nostros. Et cum Apostolo, Si Deus pro nobis quis contra nos? Nusquam finet Ecclesiam suam: tam carè emptam confundi, custodiet illam, vt pupillam oculi, & sub vmbra alarum suarum proteget eam. Turca qui in toto ferme oriente dominatur, quamuis Christo sit infensissimus, Ecclesiam tamen extinguere non potuit, quin Græciæ præcipuis in ciuitatibus sint Christiani, qui licet irrideantur & tyrannicis exactionibus in dies affligantur, tamè Christum non deserunt, certò scientes eum ipsum Dominum esse nostrum, & non alium, qui vltra non dabit hæreditatem suam in opprobrium, & fabulam gentibus à fide omnino alienis. Vtinam iam tandem Deus optimus maximus eruat reliquam Ecclesiæ suæ partem in istis occiduis partibus, à multis annis diuersis & furiosis sectis iactatam atque agitaram, è faucibus sauiantis leonis, qui modo apertè irascitur, & nos impugnare omni fraude, dolo, vi & scelere conatur. Quod quidem vehementer Deum facturum esse speramus & credimus, & nobis daturum victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum, cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

## H O M I L. XIII.

*Et erit post hæc: effundam de spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri & filia vestra: Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.*



**L**N iustitiæ doctore Christo ab omnibus piis tam diu expectato, & à prophetis vbique vaticiniorum prænunciato, sunt omnes thesauri scientiæ & sapientiæ, quorum per ipsius natiuitatem, passionem & resurrectionem fideles participes efficiuntur: veruntamen cum regnum ipsius christi doctoris nostri spiritale esset, sancto spiritu opus erat, qui digito suo legem haud carnalem, non in lapideis tabulis, sed spiritalem in cordibus credentium exararet. Hinc est vt vates effusionis spiritus sancti, super credentes, meminerit, simulac doctorem iustitiæ nomine Dei patris mittendum, qui omnia Ecclesiæ damna refarciret, promisit. *Et erit post hæc Effundam*, &c. i. postquam Deus pater miserit filium suum, quem supra doctore iustitiæ vocauit, quo clausula ista, *Et erit post hæc*, referenda est. Effundetur spiritus sanctus super omnem carnem. Est enim hæc communis &

visitata apud prophetas præfatio, cū de re noua, magna & insolita dicturi sunt. Et erit in nouissimis diebus. Et erit in illis diebus. Et erit post hæc dicit dominus: Cū igitur vates summum ac veluti caput quoddam omnium beneficiorum quæ virtute Christi crucifixi, resuscitati, atque in cælos sublati, piis hominibus contingere poterant, explicare vellet, sic exorsus est. Et erit post hæc, id est post secula illa dura & ferrea, post umbras & figuras legis, & vt Diuus Petrus probè interpretatur, & erit in vltimis temporibus dicit Deus, Effundam de spiritu meo super quamlibet carnem. Post hæc, id est postquam doctor iustitiæ suum absoluerit ministerium docens iustitiam, & sua morte peccata expiatus, mittetur Spiritus sanctus vt Christus, inquit, nisi ego abiero, nō veniet paracletus ad vos. Misit nobis Spiritum sanctum, ait Nazanzenus lib. de fide. De propria sua & ex vna eademque substantia protectorem, signatorem, & doctorem, in vitam æternam, sicut scriptum est ex voce Dei, Effundam de spiritu &c. Et iterum spiritus ex me prodiet: & ipse dominus saluatorque noster, De meo, inquit, accipiet. Grande adeo nephas ac magnum esset piaculum aliam huiusce loci interpretationem quærere, quam quæ ab Apostolorum principe in tam celebri concione allata est: videlicet ex Ioelis vaticinio spiritum sanctum qui à patre procedit, & de filij peculio accepit, largissimè & opulentissimè effundendum fuisse in men-

Act. 2

tes apostolorum, apostolicorumque virorum, idque palam, manifestè atque perspicue omnibus intuentibus atque admirantibus. Vaticinū huic simile edidit Zacharias. Et effundam, inquit, super domum Dauidis & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ & beneficentiæ, vt aspiciant ad me, eum videlicet quem transfixerunt. His ad stipulatur Isayas sic dicens: quia effundam aquas super siticulosam, & flumina super aridam: id est, effundam spiritum meum super semen tuum & benedictionem super germina terræ. Idem scribit Ezechiel, Et dabo vobis cor nouum & spiritum nouum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri. Obserua hoc in loco Ioëlis, discrimen personarum.

Zach. 12

Isa. 44

Ezech. 11

Quod enim effunditur, non est is qui effundit, & qui dat doctorem iustitiæ, non est qui docet. Facebant ergo & fileant omnes *πνευματομαχοι*: Iudæi, Turcæ, Arriani, & Macedoniani spiritus sancti diuinitatem negantes, cū tam apertis prophetarum vaticiniis fartam tectamque conspiciamus. Hebræi etiam adhuc Messiam frustra suum præstolantur, qui suis temporibus prophetiæ ampliora dona diu intermissa iuxta vaticinum Ioëlis restituat, quandoquidem in sacrosancto penthecostes die, & in veteri & primaria Ecclesia, omnia ista, quæ de effusione spiritus Sancti à Ioële prænunciata fuerāt, planè perfectèque completa sunt: ve-

luti in colatione vtriusque vaticinij & historia apostolicæ satis clarè ac perspicuè videbimus. *Effundam de spiritu meo*, &c. Effundendi (Hæbraicè habetur *שפ* quod non significat tantū guttatim stillare, sed plena copia fundere) verbum largam, amplam, & copiosam spiritus abundantiam indicat. Alludere enim videtur ad id quod facere solent præpotentes Monarchæ, qui ad ostendendam potentiam, opulentiam & liberalitatem suam, aurum & argentum profusissimè in vulgus spargunt: sic Deus effudit spiritum suum in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum. Licet in veteri testamento idem Christus, eadè Fides, & salus eadem prædicaretur atque in nouo, multum tamè discrepant in credentium numero, & in salutis & cognitionis Christi tradenda ratione: olim enim credentium numerus admodum exiguus fuit, vt temporibus Noëmi & Abrahami, qui etiam si post legem datam paulò auxior esset, salutis tamen cognitio intra Iudææ fines cōclusa videbatur: Vnde dicebatur, Notus in Iudæa Deus, præclarum nomē eius in Israël, in salem est tabernaculum eius, & mansio eius in Syone. Annunciat verbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israël. Nō fecit taliter omni nationi, &c. Vbi verò effusus est spiritus Sanctus, numerus fidelium multiplicari cœpit, ita vt ipso die quo spiritus Sanctus sedit super vnumquemque eorum, qui erant cōcorditer eodem loco in pen-  
*Tit. 3.*  
*Psal. 75.*  
*Act. 2*

quasi tria milia. Ad hæc verbum salutis per vniuersum mundum. Iudæis & gentibus indiscriminatim prædicatum est, atque tunc multi venerunt ab Oriente & Occidente vt accumberent in regno Dei cum Abrahamo, Isaaco & Iacob: adeoque ibi impletum est illud prophetæ *Isac. 54* qui plures filios sterilis fore prædixit, quàm eius quæ nuptui tradita erat. Olim tota salutis ratio in typis, figuris, vmbriis, & vaticiniis obscuris tradebatur, nunc verò veritatem, corpus, lucem, prophetarum denique certos exitus & perfectos euentus habemus. Nostrarum igitur partium erit, maximam Dei erga nos liberalitatem agnoscere, qui spiritus sancti dona in nos quasi profundere dignatus est, ne si negligentes fuerimus in Spiritum sanctum, peccare arguamur. Hic oriri posset subdubitatiuncula quare prius rerum temporariarum mentio fiat quàm spiritualium, quòd in Euangelio nos docuerit *Matth. 6.* Christus, in primis regnum Dei querendum esse, tum demum corpori necessaria nobis cumulatè adiicienda. Vates populo radi & rerum spiritualium insolenti sese accommodat, agitque vt solemus erga pueros sani consilij nōdum composites: proponimus illis, quæ tenerum & rude ingenium decent, vt quasi manu eos ad solidiora & perfectiora deducamus. Sic igitur propositis frumenti, vini, & olei copia, alta pace, hostium fuga in remotissimas orbis partes, de variis Spiritus sancti donis, tempore Messia, fidelibus quasi profusè largiendis Vates differit.

*Effundam spiritum meum super omnem carnem.* Omni carni, Iudæis & gentibus Spiritus Sancti donorum largitas promittitur. Nam post Christum natum & in caelos sublatum nullus populorum delectus factus est, veluti docuit Petrus, Non est inquit, acceptor personarum Deus, sed in omni qui timet eum acceptus est illi, vt in Samaritanis Corneliôque satis superque demonstratum est. Voluit etiâ & iussit Christus poenitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo annuciari in omnes gentes. atque tunc ingens illud interstitium & præalta maceria gentes à Iudæis dirimens, Christi sanguine diruitur. Super omnem carnem igitur, Spiritus dona largiter effundenda erant. Probè admodum ac scite dixit vates *Super omnem carnem*: nam iis quibus, sunt adhuc lapidea corda, & euangelio credere renuunt, Spiritus sanctus non datur, quia vbi requiescet Spiritus, inquit Isayas, nisi super humilem & quierum, & tremmentem sermones meos? Super omnes sanè, qui Christo nomen dant, Spiritus dona effunduntur, sed quilibet donum suum habet. Dona enim sunt in multiplici differentia; quædam Christianis omnibus communia sunt, vt vitæ renouatio, regeneratio & adoptio, quæ ad utilitatem, sanctificationem, & cælestem felicitatem eius, in quo est propriè pertinet. Alia verò singularibus & certis quibusdam hominibus in totius Ecclesiæ tamen commodum comunicantur, vt sunt ea, quibus publicorum munerum, & gerendarum

rerum

rerum administratores Deus optimus maximus creat, cuiusmodi sunt Prophetæ, Apostoli, Episcopi, Pastores & doctores. Omissis istis donis, quæ omnibus ex æquò communia sunt, attinamus illa & paucis, ex quibus seu præcipuo iudicio vberior Spiritus gratia cognosci possit. *Et prophetabunt filij vestri*, &c. Iudæi post Malachiam paucos vel adedò nullos prophetas habuerunt vsque ad Christi aduentum. Vnde cum <sup>Psal. 73.</sup> Dauide exclamare poterant. Signa nostra non <sup>Qui dicantur</sup> vidimus, iam non est propheta & Deum non <sup>Propheta</sup> est cognoscens vsquequo? Prophetiæ igitur doni meminit Ioël, sub quo linguarum gratia contineri ex Petri Apostoli interpretatione liquido constat. Prophetare propriè dicuntur, qui de archana Dei voluntate, & de rebus futuris differunt. Prophetandi tamen verbum latius se extēdit: nam qui diuino spiritu correpti de magnis ac diuinis rebus canunt, aut differunt, vel etiam concionantur, deique prædicant laudes, ij omnes etsi futura non præuideant, tamen varicinari, siue prophetare dicuntur: quibus addi possunt scripturarum interpretes, & illi, quorum interpretationes attenti audiunt. In præfenti tamen de prophetandi eximio dono (quo olim Moses & veteres prophetæ clari fuerunt) & peritiori misteriorum scripturæ cognitione Ioël loquitur: *Prophetabunt filij vestri, & filie vestrae*. Illud erit sane præclarum, & multa dignum admiratione donum, quo litterarum expertes repente correpti doctè, eruditè, & sapiè-

k

Act. 10.

Luc. 24.

Eph. 2.

Isa. 66.



ter, abstrusiores & obscuriores scripturarum locos in omnium gentium linguis interpretabantur. Quam modo pratexere excusationem poterunt perfidi Iudæi, quo minus Apostolorum doctrinam exceperint? Nonne patres eorum, ex omni regione quæ sub cælo est, Hierosolymis tunc degentes audiuerunt apostolos illiteratos, in die Penthecostes variis linguis loqui magna Dei? Dona ista lōge post apostolos in Ecclesia teste Eusebio floruerunt, & non solum vsque ad tempora beati Irenei, sed etiam & Theodoreti, Cyri Episcopi temporibus fuerunt aliqui, vt ipse scribit qui singulari Spiritus dono præditi futura prædicebant. Vt verò rem planiorem & clariorem Vates efficeret, quæ summam & paucis dixerat, nimirum Spiritum effundendum super omnem carnem, pluribus verbis explicat. *Filij vestri, simul & filie vestrae prophetabunt*. Senes vestri somnia somniabunt: & qui inter vos erant iuuenes, videbunt visiones, id est, ex cuiusvis conditionis hominibus passim orientur, qui vaticinandi spiritu præditi erunt. Synagoga habuit prophetas quidem ex utroque sexu: nam sub his temporibus quibus Moses vaticinabatur, Maria quoque eius soror eodem spiritu donabatur. Cùm Hieremias hoc prophetiæ spiritu correptus esset, simul & Holda prophetissa, erat. Sub aduentu Christi Anna prophetissa, vt & Symeon prophetizabat. Veruntamen prophetiæ donum non tam vulgare fuit, vt tempore apostolorum quando Spiritus

Exod. 15.

Luc. 2.

sanctus visibili specie super credentes tum Iudæos, tum gentes descendebat, illos & scripturæ sacræ & linguarum cognitione ita illustrans, vt hostibus admirationi essent. Stupenda tanè res erat, quod Apostoli maiori ex parte piscatores & mechanicis artibus addicti, ad eò genum scripturarum intellectum, veramque & perfectam scientiæ cognitionem haberent, qua huiusce mundi sapientes, & hebræorum scribas & doctores conuincerent, & cæcutientes sua veteri superstitione homines ad fidei lumen perducerent. Non enim Apostoli solum iis donis repleti sunt, sed quam plurimi alij, qui præditi erant tantâ doctrinæ luce, vt prophetis etiam confitari possent. Illud est quod dicit. *Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt*. Duas hic species ponit vates, vsui communi vulgarium sese accommodans, eorum quibus antiquitus secreta diuina & res futuræ in somniis & visionibus vt plurimum reuelabantur: quemadmodum legitur in Numerorum libris. *Numer. 12.* Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad *Gen. 28.* illum Ioseph vidit in somno solem & lunam & *Gen. 38.* undecim manipulos, qui adorabant illum, Iacob quoque vidit in somno scalam à terra ad cælum vsque perringentem. Danieli mysteria à seculo abscondita Deus in somnis pandit. *Eze. Dan. 2.* chiel multas visiones vidit in nouo etiam testamento, licet variis aliis modis sese credentibus Deus manifestauerit: in somniis tamen & visio-

nibus, quàm plurima reuelauit, vt sancti Petri & Pauli exempla satis testantur. Liber Apocalypseos visionibus impletur, quibus Antichristi tyrannis, quæ Ecclesiam vastatura est, nouissimis seculis mirificè describitur. Non contentus his, quæ prius allegauerat Vates, ad auxesim addit, *Atque etiam super seruos & super ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum*, id est super eos, qui prius prophetiæ dono præditi erant, post instantem Ecclesiæ restitutionem, proficient, & auxiori gratia donabantur. Vel super eos, quos ex gentibus habebitis seruos & ancillas. Non quod sit personarum delectus apud Deum, sed quoniã ij, qui ex gentibus ad Euãgelium vocati sunt, quasi serui à Iudæis habebantur, qui tamẽ Spiritu sancti charismatis, vt & Hebræi ditati fuerat: quemadmodum de Samaritanis & Cornelij domo in actis Apostolicis legimus. Quum & Apostolis tales adiumento fuerunt ad Ecclesiã congregandam, quos Esayas agricolas & vinitores appellauerat. Pars etiam præcipua viro- rum apostolicorum qui variis & diuersis in locis Ecclesias plantauerunt, ex gentibus extiterunt. Quapropter ne simus ingrati Deo optimo maximo qui per Christum filium suum tot & tam larga Spiritus dona Ecclesiæ suæ clementer impertitus est, cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Act. 8. 10.

*Et dabo prodigia in celo, & in terra sanguinem & ignem & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis & horribilis: Et erit omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit: Quia in monte Syon & in Hierusalem erit saluatio, sicut dixit Dominus, & in residuis quos Dominus vocauerit.*



REVITER summatimque in superioribus vates depinxit, quæ & qualis nouissimis temporibus futura esset Ecclesia à Messia doctore iustitiæ restituenda: in spiritu sancti enim gratiis & donis, plusquam vllis aliis temporibus florere debuit, maximè in prophetia, quæ non solum in rebus futuris prælagendis, sed etiam in scripturis exactè, dextrè, piè & catholicè interpretandis consistit: cuiquidem interpretationi linguarum peritia maximè necessaria erat, qua Apostoli & Apostolici viri miraculosè donati sunt, quousque in ecclesia miracula defierint: quibus tamen cessantibus Christiani, studio, labore, & industria linguarum cognitionem, Domino incrementum dante, adepti sunt, & præcipue hac deploratissima tempestate, in qua talibus viris, præcipuis Spiritus donis præditis, opus habebat Ecclesia, qui bonos & pios inter tot & tantas hæreses, in sancta & ca-

Matth. 24  
Luc. 21

Act. 2

tholica fide solidè confirmarent, & illos in mediis miseris firmè consolarentur, vt æquo animo ferrent, persecutiones maximas & maximè horrendas, quæ in fine huius seculi vltimi atque omnino ferrei nos manēt, de quibus Ioël olim vaticinatus est, & in Euangelio Christus vaticinium illius repetit. *Et dabo prodigia in celo & in terra.* Signa ista maiori ex parte ante Hierosolymitanâ destructionem edita sunt, in sceleratè, impiæ & nephariæ gentis vindictam, quæ iustitiæ doctorem agnoscere noluerat, quin potius illum truculentiſsimè cruci affixerat: & Spirituſancti dona in Apostolis conspicuâ non minus stolidè quàm impie contempserat & irriserat. Digna profecto erat gens illa, vt in eius exitium omnes huius mundi partes acerbissimè conspirarent. Porro nusquam tot & tanta visa fuerant prodigia, neque in cælo, neque in terra, quot & quanta post Christi ascensionem in cælos apparuerunt, de quibus Iosephus & Ægesippus antiquissimi scriptores doctissimè & verissimè scripserant. Ex illis omnis generis prodigiis post mortem Christi tam frequentibus, Christianæ fidei hostes occasionem arripuerunt proſcindendi religionem: vt Diui Cypriani temporibus Demerrianus, qui Christianis calamitates, quibus tum mundus vrgebatur, falsò imputabat: cui Martyr sic eleganter & serio responderet. Non enim sicut tua falsa querimonia & imperitia, veritatis ignara, iactat & clamitat, ista accidunt, quòd dii vestri à nobis

non colantur, sed quod à vobis non colatur Deus. Nam cum ipse sit mundi Dominus & rector, & cuncta arbitrio ipsius & nutu gerantur, nec quidquam fieri possit, nisi quod aut fecerit, aut fieri ipse permiserit: vtique quando ea fiunt, quæ iram Dei indignantis ostendunt, non propter nos fiunt, à quibus colitur Deus, sed delictis & meritis vestris erogantur, à quibus Deus omnino nec queritur, nec timetur. Theodosij, Honorij & Arcadij tempestate Symmachus vrbis præfectus vir maxima præditus eloquentia, in imperij Romani inclinationem & occasum in Christianos reiciebat, cui Diuus Ambrosius Mediolanensis Episcopus, & Prudentius poëta Christianus non minus eruditè, quàm subtiliter & acutè responderunt. Simul etiam diuus Augustinus & Orosius impietatem hominum ac infidelitatem tot & tantorum malorum causam esse, præsertim cum bonitatem & clementiam Dei ad meliorem frugem illos vocantis, tam obstinato & pertinaci animo ipsi contemnant. Dominus Christus omnia illa videlicet terræ-  
Luc 21.  
 motus, pestilentias, fames, bella & seditiones futuras, prodigia etiam magna in cælo & in terra longe ante præsignificauerat. Equidem credo nullam vnquam ætatem fuisse prodigiorum feraciorem hac nostra infœlici ac misera. Quis quondam vidit tot cometas, enses, cuspides, & id genus meteorâ in aëre apparere? Terræmotus & aquarum inundationes, nescio an vsquam frequentiores fuerint. Dies me narran-

Signorū &  
prodigiorū  
diuersa ra-  
tio.

tem deficeret, si omnes monstrosos partus enumerare vellem. Nec isthæc inania fuerunt terculamenta, quandoquidem paulo post vidimus infelicem mundum bellis, famis, lue, & aliis infinitis malis vexari, quemadmodum istis miraculis & signis præostensum fuerat. Illud interim notatione dignum censui, prodigia, signa & miracula esse in duplici differentia: quædam sunt quæ terrorem & metum hominibus incutiunt, diuinamque iram & ultionem iudicant & protendunt futuram, qualia sunt ista, quæ diem Domini magnum & terribilem præcedet. Alia verò sunt mitia & placida ad vtilitatem hominum potius pertinentia, quàm ad tremorem, quemadmodum illa quæ Dominus Christus egit in terra, priusquam mortem & passionem subiret. De aliis Ioël noster loquitur, cum dixit. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem*, id est maxima illa duo luminaria deliquium patientur. Quoties prophetæ maximas calamitates designare volunt, hac loquendi phrasi vri solent. In his Dei optimi maximi bonitatem agnoscamus necesse est, qui priusquam pœnas, quas meruimus inferat, non solum verbo nos præmonet, sed etiam signis & prodigiis excitare solet. Possit quis mirari cur post tam lætam Spiritus sancti missionem subiunxerit Vates prodigia futura in cælis & in terra sanguinem & ignem & columnas nubis: solem etiam vertendum in tenebras, & lunam in sanguinem antequam veniat dies Iehouæ magnus & terribi-

lis. Ipse docet quid sit futurum, ne homines sibi nimium blandientes existimarent, & somniarent aliquod in terris seculum aureum, sicuti Chiliastæ, alioqui boni doctique viri sibi pollicentur. Quandiu enim hîc degerit Ecclesia, crucem ferat suam necesse est, & præcipue mûdo inclinante, & in occasum vergente, ne terrenis benedictionibus penitus inhæreat, sed ad altiora promptius euehatur & alacrius aspiret. Hinc est vt Christus paulo ante mortem discipulis regnum terrenum, lætum, & faustum expectantibus responderit, Signa & prodigia magna esse ventura, quæ præludia forent atque certa malorum præfagia, vtpote tumultuum, bellorum, cædium, & infinitorum malorum, quæ maiori ex parte iam sumus experti, & in dies experimur. Quapropter ad asyllum tutissimum confugiamus, quò omnes pii confugere solent, nimirum ad clementissimum Dominum, & patrem maximè propitium. *Nam qui-  
cunque inuocauerit nomen domini, liberabitur & euadet.* Tempus quod præcedet magna illa comitia ad quæ omnes cuiuscumque gradus & ordinis conuenire oportet, vt rationem reddant: quo quidem difficile erit admodum incredulis & exitiosum, fidelibus verò, qui nomen Domini inuocauerunt gratum & lætum, nam feliciter euadent. Omnium periculorum felicem exitum Deus optimus maximus dabit, quia *omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit.*

Inuocatio exigit fidem, prædicationem verbi & sacramenta; quæ verbo coniungi solent, & eodem accedente perficiuntur. Apostolus ergo dicebat, *Quomodo inuocabunt in quem nõ crediderunt, & quomodo credent sine prædicante? & quomodo prædicabunt nisi mittantur? Prædicationi autem verbi Christus subiunxit Baptismum, quo sine doctricis cætera sacramenta comprehendit, quæ omnipotentia verbi absoluuntur. Non enim dixit propheta, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, habebit quod postulat, sed erit saluus: nam sæpe vsu venit, vt ignoremus quale sit quod petimus: quare Deus qui probè nouit quæ nobis conferunt, licet priuatim votis nostris non annuat, maximè tamen preces audit, cum largiatur salutē. Ideoque nõquã frustra inuocatur à suis fidelibus, modo inuocatio illa à Spiritu & sincera fide proficiscatur. Nã preces, quæ perfuntoriè duntaxat fiunt citra sensum, non sunt Deo gratæ, quemadmodum Isayas ostendit arguens populum, qui labiis tantum Deum honorabat, & cor ipsius procul aberat. Et Christus apud diuum Matthæum dicebat. Non omnis qui dicit, Domine, domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem patris mei. Oportet ergo adsit fides cum charitate coniuncta: namque signatum esse oportet militem militaribusque sacramentis fide, spe, & charitate obligatum, atque his artibus instructum rectè in spiritu & veritate precari, & sic quicumque siue Iudæus siue Græcus,*

*Rom. 10.**Isa. 29.**Matth. 7.*

Romanus vel Scythia inuocauerit nomē Domini, saluus erit. Hoc est nomen Iesu quod vocatur *Matth. 2.* tum est ab angelo, priusquam in vtero conciperetur, quod populū seruaturus esset à peccatis eorum. In illo nomine Abrahamus, qui vidit diem Christi & gauisus est, inuocauit, omnesque patriarchæ & prophetæ, qui verum & purum dei cultum retinuerunt. Hinc David orabat, Adiuua nos & redime, propter nomen tuū. De illo inuocandi modo dicebat Christus, *Quidquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Vnde & iam dudum Ecclesiæ mos inualuit, vt preces omnes Christi nomine claudantur, veluti ex apologia Iustini martyris colligere licet. Quod si Ecclesia Catholica ab Apostolorum temporibus non desierit petere in nomine Christi, quæcumque patrem rogarit, & quod omnis, qui inuocauerit in nomine Domini seruandus sit, quo ore, qua freti audacia nostræ tempestatis hæretici eam idololatriæ insumulare audēt? Loco panis nostri quotidiani, deditne durissimos silices? & loco sanctificationis nominis sui & regni permisit ne Sathanæ regnū vbique locorum, vbi Ecclesia floruit, altas radices agere? Minimè gentium, quandoquidem omnis qui inuocauerit nomē Domini saluus erit, Ad omnes hæc promissio extēditur, adeo vt nec gentis, nec sexus, nec cōditionis discrimen excludat: quemadmodum satis appositè Apostolus hoc loco vsus est, vt gentes æque ac Iudæi euangelij & promissionum esse capa-*

*Ioan. 8.**Ioan. 16.**Rom. 10.*

ces doceret. Diuus Hieronimus contra Luciferianos, & Augustinus contra Donatistas, qui de paucitate sua gloriabantur hac scripturæ auctoritate & plurium aliarum freri mirum in modum inuehuntur. Faciunt quoque ista multum ad consolationem, & fiduciam precandi. Nam etiam si indigni simus, vt ad thronum gratiæ Dei accedamus, & nostras preces ei offeramus, non tamen illas aure surda præterit, quando in illius conspectum filium ipsius Christum afferimus, qui nobis ab illo iustitia & sanctificatio factus est. Cæterum vt Vates magis confirmaret quod dixerat, addit. *Quia in monte Syon & Hierusalem, sicut dixit dominus, & in residuis quos Dominus vocat*, id est in vera Domini Ecclesia, quæ sola diuini nominis veram inuocationem nouit, erit salus & euasio. Huius Ecclesiæ typus olim fuit Hierosolyma, quæ ad Syonem montem, templo Domini celebrem, sita erat. Nec tamen istud vaticiniû de Syone & Hierosolyma terrestri accipi potest, cum Christus templum illic situm, speluncam latronum vocauerit, tandem aliquando destruendum, vt nec lapis super lapidem remansurus esset. Nolo interea ire inficias, quin ibi Ecclesia sub Ezechia rege totis annis quindecim, Chaldæorum obsidione liberata egregie floruerit, & postquam ex capriuitate reduces facti sunt Iudæi templum instaurarunt, & illic tandem per Apostolos Ecclesia colligi cœperit, vt Isayæ prophetia adimpleretur, quod verbum Domi-

Isa. 2.

ni de Hierusalem, & lex Dei è Syone exire deberet. Veruntamen cum illa Hierusalem terrestri à Romanis sit tam miserè vastata, & à Turcis modo occupata, de Ecclesia Catholica hanc prophetiam intelligamus necesse est. Ipsa *Gen. 7.* est archa Noë in qua cum familia sua remansit ipse illæsus, abolita generatione praua & adul- *Cant. 4.* tera. Ipsa est fons signatus, insignis & egregius puteus aquæ viuæ, paradifus cum fructu *Matth. 18.* pomorum. Hæc est quam qui non audierit, eum tanquam Ethnicum & publicanum ha- *Matth. 16.* beri iubet Christus. Hæc est aduersus quam idem ne portas quidem inferi præualituras es- *1. Tim. 3.* se constanter dicit. Hæc est quam firmamentum & columnam veritatis vocat Apostolus Paulus. Hæc est denique quam cum ducem sequimur, errare nos nulla ratione posse, certum & indubitatum habemus. Alienus vero est prophanus est, inquit Cyprianus, nec habere partem cum Christo potest, qui in Ecclesiæ vnitatem non perseuerat. Præterea etiam erit salus & euasio in superstitibus, quos Dominus pro sua bonitate dignabitur vocare. Porro de reliquiis istis saluandis apertè loquitur Isayas quæ à prædicatione Petri Hierosolymis habita, seruare cœperunt, quando dixerunt, *Act. 5.* Quid faciemus viri fratres? Quibus Apostolus satisfecit dicens, vt pœnitentiam agerent, & baptizaretur vnusquisque eorum. In fine autem seculi cum fiet vnum ouile & vnus pastor postquam intrauerit plenitudo gentium, residuum

Israëlis qui credituri sunt Christum Iesum Dominum nostrum, seruandi sunt. Cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

## HOMIL. XVI.

*Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo cum conuerterero captiuitatem Iacob & Hierusalem, congregabo omnes gentes, & deducam eas in uallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hereditate mea Israel, quos disperferunt in nationibus, & terram meam diuiserunt.*



**C**UM Dominus Deus Ecclesiam suam unice diligat, & illam sponsam charissimam & dilectissimam, loco habeat, quique ut pupilam oculi diligentissime seruet, fieri non potest, quin iniquo animo ferat, si quis eam iniuria affecerit, & seuerè animaduertat in eos omnes, qui eam contempione, probris, cõuitiis & iniuriis omnibus persequuti sunt, atque iniuste vi ac tyrannidè oppresserunt. Illud est quod vates ostendere nititur in hoc capite vltimo, vbi magis ac magis Ecclesiam tam sauis bellis & tandiu afflictam consolatur, cui pollicetur de inimicis eius post captiuitatem, cum Iudæi reduces facti fuerint, se vindictam sumpturum esse iustissimam. Quia ecce in diebus illis, &c.

Vnumquodque vaticinium suo tempore complectitur, non quòduis tamen vno eodemque tempore, sed alia aliis sunt temporibus, vt priora posterioribus fidem faciant, vt in iis, quæ Dominus Christus de mundi fine & iudicij die, atque de exitio tragico & luëtuofo Hierosolymitano vaticinatus est, videre licet. Certum enim excidium gètis & vrbis probauit rerum aliarum suo tempore implendarum exitum. Sic etiam Ioël non solum longis & posteris temporibus ventura prædixit, sed etiam prioribus atque proximis, vt per ea, quæ proximè facienda erant, cætera in longum tempus experenda certa & rata crederentur, cuiusmodi erant Israelitarum restitutio, iudicij communis omnibus dies, & quæ in hoc capite prædicuntur. Nempe diuini nominis hostium strages, & futura Ecclesiæ sanctæ pax & tranquillitas certa. *Quia ecce in diebus illis & in tempore illo, &c.* Licet temporibus Ezechiel, Iuda & Hierusalem nondum in captiuitatem abducerentur, propter frequentia & assidua bella tamen nihilo fœliciores erant, iis, qui iam capti exulabāt. Præterea breui à Chaldæis vincendi erant, & ita vt ceteræ decem tribus misere tractandi. Igitur non solum ab illa iam pendente miseria, eos se liberaturum promittit, sed etiam hostes eorum tandem pœnas persoluturos. Verum enimvero tantò Chaldæorum esse videbatur potentia, vt vix ac ne vix quidem persuaderi posset illam tandem aliquando confringi posse. Quapropter in superiori

capite Vates Messiae meminerat, qui ex illa gēte secundum carnem exoriri & nasci debuit, cuius gratia seruanda erat & non funditus delenda, vt Deus in promissis suis verax vtrique appareret. Ob Messiam ergo in diebus illis & in tempore illo ex Iuda & Hierusalem captiuos Dominus Deus reducturus erat, & cum gentibus disceptaturus & exostulaturus de oppresso populo suo. Hæc consolationi nostræ accommodari debent. Adeo enim bellicis tormentis & astutia vulpina instructi esse videntur, tum immanissimi turcæ, tum callidissimi heretici vt Ecclesiam quasi radicibus delendam diceret, sed Deus optimus maximus & græcos fratres nostros tandem à Turcarum tyrānide liberabit, & catholicos ex hæreticorū faucibus eruet. Illud erit sanè in diebus illis & in tempore illo cum reductus ex Iuda & Ierusalem caelesti captiuos. Satis dixisse videbatur. *Vel in diebus illis vel in tempore illo*, id vtrumque ponit cum aduerbio ecce, ad auxesim, vt remissos & iam contractos excitaret, & adderet animum vt benè sperarēt. Huiusmodi consolationibus nobis opus est, quando sub peccati & diaboli dominio captiui tenemur. Veniat Christus qui fortem armatum vinciat & exarmet necesse est, & nos veram in libertatem asserat, alias nostris viribus quæ per peccatum solutæ ac debilitatæ sunt neuiquam elabi possemus. In captiuitate filiorum Israël, & eorum liberatione hæc satis exprimentur. Nam quid valebant Iudæi in exilium acti, rege

Matt. 12.

rege destituti, & ab omni armorum genere ac præsidio spoliati, nisi de bonitate, clementia, benignitate & misericordia seruati fuissent? At verò in diebus illis & tempore illo reductus Dominus Deus captiuos ex Iuda & Hierusalem, quos penitus obliuioni tradidisse videbatur, nullam amplius reipublicæ formam habebant, cultus diuinus vna cum templo euersus erat, totum populi corpus lacerabatur, quis ergo putasset Deum adhuc huius gentis ad eò miseræ curam gessisse? Omnes vicinos nedum Assyrios infensos habebāt, ita vt magis in exilio pereundum esse videretur, quàm libertatem vllam esse expectandam. Attamen benè sperare iubet Deus, cum se idoneum & sufficientem vindicem fore contra omnes populi Iudaici hostes polliceatur. Quamuis Iudæi hoc vaticinium ad liberationem, qua sub Cyro & Dario donati sunt, restringant, ad Christi tamen tempora extendi debet, quibus à seruitute & tyrannide diaboli, peccati & mundi plane, perfectèque liberati sumus. Illud tamen scrupulum quoddam iniicit, quod Iudæ & Hierusalem duntaxat meminit, cum tamen & decem aliæ tribus essent redimendæ, imo verò & gentes etiam ipsæ, quia Christus mortuus est, non pro gente hebræa tantum, sed etiam vt eos qui erant dispersi in vnum congregaret. Responderi potest Iudæam ideo nominari, quia regia dignitate tribus illa potiebatur, & Christus ex illa nasciturus erat: & Hierusalem regni caput, quia purus Dei cultus illie

Ioan. 11.



exercebatur. Decem verò tribus à vera religio-  
 ne & catholica Ecclesia deficiuerant, quas ad  
 vnitatem redire oportuit, si restitutionis pro-  
 missa voluerint fieri participes. Ego sem-  
 per in ea opinione & sententia fui, vt si Græci &  
 Germani ad vniionem Ecclesiæ redirent, cum  
 Gallis & Hispanis, nulla difficultate Turcam  
 vinceremus, & fratres nostros, qui nomē Chri-  
 sto dederunt, & nos ipsos in libertatem assere-  
 remus, quæ in Christo Domino nostro toties à  
 lege & prophetis promissa est. Non enim tan-  
 diu feret Dominus suos dignitate, honore, &  
 fortunis expoliatos, tam misere ab infidelibus  
 tractari, sed congregabit omnes gentes, quæ  
 sanctis bellum inferunt, quas in vallem Iosa-  
 phat descendere faciet, quibuscum disceptabit  
 super populo suo. Gentes illas in vallem Iosa-  
 phat cōgregandas, vt omnium malorum, iniu-  
 riarum & calamitarum pœnas Deo iudici exo-  
 luant: promittit Vates, qui hac voce Iosaphat ex  
 industria vti videtur, quæ latinis auribus Iudi-  
 cium Dei sonat, vt veterem hystoriam in men-  
 tem reuocaret, & ostenderet sibi factu facillimū  
 fore, quod hîc pollicebatur. Cùm enim aduer-  
 sus Iosaphat regem non magnis copiis instru-  
 ctum multæ gentes cum ingenti & permagno  
 exercitu conspirassent, vt sine negotio vniuer-  
 sum Dei populum profligarent, singulari Dei  
 beneficio effectum est, vt Iosaphat mirabiliter  
 præualuerit. Nam gentes illæ inter se ipsas com-  
 missæ mutuis sese confecerunt vulneribus, ita vt

2. PAR. 20.

interfectorum innumera illic iacuerit multitu-  
 do. Voluit ergo huius historiæ veteris refricare  
 memoriam, vt discerent Dei vires non esse ad-  
 huc exhaustas, qui olim tam sæuos & immanes  
 hostes sine vlllo negotio extinguere potuerit.  
 Nos hîc considerare oportet iudicium Dei neu-  
 tiquam sublatum esse, etiam si Ecclesiæ hostes  
 liberius grassari interdum sinat. Videt de super-  
 no solio suo quæcumque moliantur improbi,  
 quos iudicij & vltionis dies manet, quam effu-  
 gere non poterunt. Nam cùm sit Dominus  
 exercituum, sui iudicij exequutoribus nō care-  
 bit. Hæc plurimum faciunt ad diuinam prouid-  
 entiam stabiliendam, quæ sæpe in dubitatio-  
 nem & quæstionem vocatur, ob iniquam tum  
 bonorum, tum malorum in hac præsentī vita  
 fortem, cùm innocentiam & integritatem à sce-  
 lere & malitia distingui supplicio aut præmio  
 conspiciamus, & neminem impium Dei iudi-  
 cium ac sententiam effugere, vt in communi il-  
 la totius orbis inundatione, & quando gentes  
 omnes congregabit Dominus in valle Iosaphat,  
 hoc est iudicij, tunc illam prouidentiam omnes  
 maximè probare coguntur. Vocat autem lo-  
 cum, in quem Dominus deducturus est omnes  
 gentes, & cum illis disceptaturus, vallem Iosa-  
 phat, quam Pariphrastes Chaldaus planitiem  
 manifestationis iudicij interpretatus est. Vallis  
 etiam meminit vates, quod in acie dimicanti-  
 bus sit incommoda: in campis patetibus rectius  
 pugnatur vbi explicari potest acies, significat

ergo vallis locum iniquum & incommodum magnæ multitudini, sicque metaphoricos indicat animorum affectus. Siue autem in valle Iosaphat, quæ inter Hierusalem & olæarum montem sita est, siue in quouis alio loco Deus exerceat Iudicium suum, erit vallis Iosaphat, & sic à veritate non aberrant qui sunt huius sententiæ extremum iudicium fieri in illa valle Iosaphat, quando Christus Deus & homo venturus est cum Angelis suis, & sedebit in sede magestatis iudicaturus viuos & mortuos. Quâdo inquam in conspectum Dei conuocabuntur, & scelerû consciëntia, dedecore & pœnitentia tarda & sera nimis præpediti, irretiti, atque in angustias, quasi desperationis redacti miserimè torquebuntur & excruciabuntur animi, sibiip̄s turpiter actæ vitæ, peccatorum flagitiorumque conscij. Ad hæc veritati & æquitati consentaneum est, vt in hac terra conspicuus & gloriosus maxime appareat Christus, in qua obscurus & ignobilis crucifixus visus fuerat, Samarites & fabri filius ab improbis Iudæis vocatus. Tûc omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius. Ipse in iussu & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo. Mittet angelos suos, & colligêt de regno eius omnia scandala. Ipse pastoris instar, die iam inclinãte separabit oues ab hædis, disceptabit cum omnibus gentibus qui crucifixum tertia die suscitatum, & gloriôsè in cælis ad patris dexteram sedentem agnoscere noluerunt. Paucis audiamus super quo in horrendo

Matth. 25.

Ios. 5.  
2. Tes. 4.

illo disceptationis & iudicij die, sit Dominus deus disceptaturus. *Super populo meo & hereditate mea Israel.* Ad eum populum & hanc hereditatem omnes veri Israëlita pertinent, quotquot ab Abele, vsque ad iustorum nouissimum extrahunt: quos hereditatem suam appellat. Pro qua se disceptaturum esse, ac litem intenturum iis, qui eam occupare vellent (quemadmodum frugiac diligens agricola bona sua repetere, ac persequi lite & iudicio solet) ingenuè dicit: *Disceptabo cum illis, &c.* Hoc in loco consideranda venit non vulgaris Dei opt. max. pro Ecclesia sua, cura & sollicitudo, qui nō solum diem dicit Ecclesiæ persequutoribus, sed etiam quæcumque fuit vni ex minimis suis, acceptum sibi ipsi ferre dignatur. Vnde Saülo dicebar, *Quid me persequeris?* Duo genera hominum hostiles manus Ecclesiæ admoliti sunt, vtpote obstinati & rebelles Iudæi, qui apostolos fugarunt de ciuitate in ciuitatem, & superstitiosæ gentes, quæ cum Christianos neci & morti traderent, obsequium Deo præstare arbitrabatur, cui tamen blasphemantes bellum inferrent. De vtrisque Dominus Deus iudicium faciet, propter Ecclesiam suam, quam hinc & illinc disperferunt, atque diuiserunt. Hinc igitur ipsi iustissimo & æquissimo semper iudici summus à nobis tribuatur honor, & cultus in secula seculorum, Amen.

Act. 5.

*Super populum quoque meum, sortem miserunt: & posuerunt puerum in prostibulo, & puellam vendiderunt pro vino ut biberent. Verum quid mihi & vobis Tyrus & Sydon, & omnis terminus Palaestinarum? Nunquid ultionem vos reddetis mihi? & si vlciscemini vos contra me, cito velociter reddam vici similitudinem vobis super caput vestrum. Argentum enim meum & aurum tulistis: & desiderabilia mea & pulcherrima intulistis in delubra vestra. Et filios Iuda, & filios Hierusalem vendidistis filiis Græcorum, ut longè faceretis eos de finibus suis.*

**F**ILII huius seculi, qui fastu turgent, quique nec Deum verentur, nec ipsius iudicium (ante quod omnes sistere oportet) timent, piorum vitam, honorem & dignitatem nihili faciunt, imò ipsos contemnunt, derident, & proscindunt, quippe qui tandem sed tardius, quam par esset, dicere cogentur: O insensati nos vitam istorum existimabamus insaniam & finem eorum sine honore: Veruntamen ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est? Hæc contingit quando Dominus Deus pro Ecclesia sua suscepturus est, perinde ac si quis pro hæreditate paterna contenderet. Tunc libri rationum aperientur qui contemptus iniurias, contumelias & opprobria (quibus impij iustos in hoc mundo affecerunt) conti-

nent ac complectuntur, de iisque omnibus rationem reddituri sunt, coram equo iudice, qui cum ipsis grauissimè expostulaturus est, ut in explanatione huius textus, quem proposuimus, videre licebit. *Super populum meum miserunt sortem.* Babylonij pro re contemptissima & vilissima populum & hæreditatem dei habuerunt, quam prædonum more inter se diuiserunt. Non contenti sunt agros vastare, vrbes & oppida depopulari, templū augustissimum spoliare & expilare, verum enimvero patria & ciuitate pauperimos Iudeos expulerunt, exterminarunt & eiecērunt & in terram eorum nouas colonias deduxerunt, ut in perpetuum dulci solo priuarentur. Sacra hystoria de Salmanasare istud testatur, idemque Sennacherib molitum fuisse ex oratione Rapsacis (qua Hierosolymitanos ad deditionem sollicitabat) constat. Non abs re igitur sui populi hostibus exprobat quod hæreditatem suam sint partiti, & inter gentes populum suum disperferint. Impietas enim maxima fuit terram illam, quam Deus sibi consecerat, prophanare, & ibi superstitionem gentilitiam exercere, vbi purus Dei cultus fieri solebat. Duplex crimen admiserunt Babylonij, nam primum in longinquas regiones populum abduxerunt, & terram cultui diuino sacratam prophanis gentibus incolendam tradiderunt. Deus agre fert ut populos propriis sedibus pellamus. Singulis terminos constituit, linguarum societate vnāquamque gentem discreuit: Quare

ergo, vt tuæ ambitioni nimium indulgeas faciasque fatis, coges eas vt solum proprium vertant, sedem ac locum mutet? Mira res, Cur nam homouiso mortem in sinu ferens suam ambitionem & cupiditatem satiare & explere non possit? Alexander ille super omnes ambitiosus alium mundum debellandum concupiuit, & vix triginta annos natus in alieno solo vitam morte misere commutauit. Quid illi profuit tot vrbes expugnasse? Darium semel atque iterum vicisse? Quid nostro seculo Galli profecerunt, quando maiorem Italiae partem occuparunt? Postquam omnes populi fortunas consumpsimus, & nobiles ac milites bellis amisimus, tandem res pace compositæ, cedere coacti sumus. Angli & Scoti coegerunt clerum & catholicos patria cedere, vel auitam religionem deserere, sed Deo fauente cedere cogentur. Quisquis contentus sit sua sorte, nec alienis fortunis inhiat. Alias Deus nobis exprobraret quæ Babylonis vitio vertit. *Super populum meum miserunt sortem, &c.* Extremum cõtemptum innuit, quod sortes super ipsum populum iecerint. Vtitur vates metaphora à bello & militibus sumpta, qui cum victoria potiti sint, diuidunt inter se spolia iacentes sortem, quis eorum copiosorem spoliorum partem habere debeat. *Prostituerunt puerum pro scorto, & puellam vendiderunt pro vino vt biberent.* Aded victoria abusi sunt, vt militari licentia ausi sint puerum meretrici, loco mercedis tradere, vel ad nefandam libidinem

prostituere, & puellas vini poculo permutare. *Ætas, religio, fletus & clamor ad misericordiam licentiosos & effrenes milites flectere non potuerunt.* Quamuis victori in victum multa liceat, sunt tamen quædam iniuriæ probrosæ admodum à quibus victor se abstinere debet. Saul veritus ne in huiusmodi probra incideret, maluit sibi mortem inferre, quàm ab incircuncisis & prophanis gentibus illudi. Verum enimvero quid Babylonij hostiliter fecerunt, quod Turcæ non faciant modo in ciuitatibus Christianorum, quas vi, armis, & barbaro furore expugnarunt? Hæc sufficere deberent ad nos omnes armados aduersus huiusce tyranni fœdam, imò nefandam turpitudinem, cuius nomen solum pius piorum christianorum aures offendit. Oportuit vitia & peccata Iudæorum & nostra fuisse & esse grauissima, quandoquidem aded grauissimis suppliciis, cum ludibrio coniunctis digna extiterunt. Maximè vereor, ne turpissimas nundinationes saltem puellarum non solum inter Babylonios & Turcas, sed etiam inter eos, qui christianos scilicet se nominant & gloriantur, cum maximo magistratuum dedecore reperiri. Quod si Pauli persona non degat apud nos, vigeat saltem eius doctrina, & disciplina rogo, qua tam seuerè incestuosum illum corinthium arguit maxima cum grauitate atque correxerit. Equidem non existimo in his nephandis libidinibus vnquam plus homines peccasse quàm modo, inrerea nusquàm leuiores & rariores

animaduersiones. Istud horrendum dictu, vt in Ecclesia talia audiantur, quæ ab infensissimis hostibus impiis & nephariis aduersus victos exerceri soleant. Sed vt eodem reuertar, non solum Iudæi huiusmodi probra à Babyloniis longinquis apertè, hostili animo, & nomine, bellum inferentibus, sed etiam à finitimis occultis hostibus perpessi sunt, vt in sequentibus videre licet. *Verum, quid mihi & vobis Tyrus & Sydon, & omnis terminus Palestinorum?* Hoc vsu sæpe venire solet, vt vicini maximarum rerum publicarum odium & inuidiam in cordibus abscondant eo tempore, quo nocere non possunt. Vbi vero occasionem ob tempestatum turbulentiã nanciscuntur, neque damnis parcunt neque iniuria afferenda abstinere, vt quondam filij Edom, qui Babyloniis Hierusalem vastatibus animum addebant, hoc Hemistichio, Exinanite vsque ad fundamentum in ea: quo quidem vitio laborarunt Tyrus & Sydon duæ Palestinorum præcipuæ ciuitates, quæ nihilominus ab Hebræis nulla iniuria laceffitæ, imo verò frumento & alio cõmeatu semper adiutæ fuerant. Quid mali similiter vnquam Germanis Gallia nostra intulit? Nonne Christianissimi nostri reges, vbi que terrarum, pro Germanorum libertate ac si fuisset pro focis & aris pugnarunt? Interea cum illi viderent Galliam bellorũ & tumultuum ciuiliu incendio totam flagrare, partes turbulentorum, seditiosorum, & perniciosorum hominum aduersus regem Christianissimũ & opti-

*Psal. 136.*

mates Gallorum amplexi sunt, atque terras nostras barbarè depopulati sunt, non secus ac si essemus & fuissetus semper iurati hostes. Dominus Deus æquissimus iudex tandem aliquando reddet illis. Discat populum afflictum sibi amicum non amplius affligere, ne idem ipsis contingat, quod Tyrij & Sidonis incolis, quibus cum expostulat Deus. *Sed & quid vobis mecum Tyre de Sydon, &c.* Quid quæso aduersum me vobis est ô Tyre & Sydon, & quotquot frontem terræ Palestinæ habitatis? An vlla vos per me lacestiti estis iniuria, quod in deuastranda vrbe mea hostibus vos præbueritis socios? Ita ne talionem mihi redditis? Longe vestra opinione citius certe vestram illam talionem in caput conuertet vestrum. Hic Deus non videtur solum sui populi causam agere, sed suam potius, vt piorum animos firmaret, dum intelligerent afflictiones suas Deo esse curæ. Deberemus isthæc sæpius mente reuoluere, & præcipuè quando Ecclesiam oppressam perspicimus, etiam ab his, quibus ipsa benè consultum semper voluit. Si alienigenæ nos persequerentur, vtique æquo animo ferremus, sed dum ipsi, qui nobiscum dulces panes edebant, de quibus semper sumus benè meriti, nos odio plusquam vatiano persequuntur, nõ possumus quin clamemus ad Dominum, Vindica sanguinem sanctorum tuorũ, qui effusus est. Repende in caput ipsorum hanc impietatem & crudelitatem, quam in Ecclesiam Catholicam, imo verò in te exercuerunt. Vici-

*Psal. 54.*

nia sanè Tyriorum & Sydoniorum animos ac mentes ad quendam commiserationem atque misericordiã permouere debebat. Sæpe corrigi vt maritimæ ciuitates, portibus & emporiis ditissimæ, quales Tyrus & Sydon extiterunt, sint fidei & fœderum parum tenaces. Ante bellum Assiriacum inter Iudæos & has ciuitates fœdus inirum fuerat, sed statim orto bello, cum hostibus se iunxerunt, vt spoliis vicinorum ditescerent. Auarus miles supellectili minimè se onerat, sed vili pretio vendunt vicinis, qui castra sequuntur, qui cum sint consentientes in furtis & latrocinis, æquum est, vt simili pœna plectantur. Sicuti ergo superius Chaldæis minatus fuerat grauitè populum suum vindicare, ita modo Tyrios & Sydonios infectatur. *Quid vobis mecum?* ex interrogatione vtitur, vt factum amplificet ac exaggeret. Qua enim mensura tyranni Ecclesiam mensi fuerint, eadem citò velociter remetiatur illis. Hinc Isayas: Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & Abdias: Sicut fecisti fiet tibi, retributionem tuam conuertet in caput tuum. Sic enim Dominus Deus impiorum conatus facit irritos, qui nunquam aduersus Ecclesiam præualebunt, quam ipse vt pupillam oculi tutatur. Sunt multo inferiores quàm possint Deo incommodare, damnum vero quod Ecclesiæ inferunt rependetur illis. Audiamus quo-nam pacto narratione & partium distributione factum Tyriorum, Sydoniorum & Palestinorum amplificet. *Argentum enim meum*

Isa. 33.  
Abd.

*Et aurum tulistis:* ac si diceret, Animorum vestrorum leuitatem & inconstantiam prodidistis, qui populi mei partes in prospera fortuna tuebamini, in aduersa vero hostium partes sequuti estis. Ipsi hæreticorum ingenia propriè verèque exprimunt, quippe qui malunt cum hostibus Ecclesiæ se iungere & à partibus eorum stare, quàm cum catholicis manere, maximè si belli martisque fortuna hosti arriserit. Hoc Donatistis Diuus Augustinus exprobrat, qui cum Gothis imperium Romanum vastantibus, sentire dicebant, quando sciebant catholicis superiores esse. Maxima hæreticorum malorum pars sectis nomen dedit, vel quia potentes & diuites has partes sequi conspiciebat, vel vt ex Ecclesiæ thesauris ditescere possent. At fides, pietas, & religio non ex potentia, nobilitate & authoritate hominum probanda est, neque etiã aliquis existimet, Ecclesiæ thesauris ditari posse. Infinita fere exempla prouerbio locū dederūt, vt Ecclesiæ bona paternis bonis immixta consumunt vtraque, ac instar ignis deuorant. Quis cardinalium nostratum qui tot Episcopatus, abbatias, prioratus & præbendas (iure vel iniuria, penes equos césores & iudices lis decidatur) occuparunt, non ære alieno grauatus mortuus est? Imitari forte cupiunt, scilicet, Exuperium episcopū illum Tolozanum, cuius Ecclesia tam pauper fuit vt sacrū Domini corpus in Calatho vimineo, & sanguinem in vitro ferre cogeretur.

Vtinā gallū istum Episcopū & innumeros alios primeuæ Ecclesiæ fuissent imitati. Non præbuisent regibus quibusdam principibus ansam expilādi Ecclesias, victu & vestitu contenti cum clero suo, quod superfuisset pauperibus erogassent, templa, (vbi populus christianus conuenit vt verbum Dei audiat, precetur, & sacramentorum particeps efficiatur) instaurassent. Sed proh dolor! ex quo Episcopatus & Abbasfiæ in commendam, vt loquuntur, traduntur, commendatarij vel potius comestores, vix late-rem edificijs apposuerunt. Argentum & aurum Domini, desiderabilia & pulcherrima templorum furati sunt, & in vsus prophanos exposuerunt. A circumcellionibus hugnosticis (quorum cardinales & Archiepiscopi aliqui duces fuerunt) parum discriminabantur. Sed vtrique sciant, Dei manum non posse euadere, qui aurum, argentum, & totam supellectilem templi suum vocat. Baltazar qui vasis aureis & argenteis quæ Nabucodonosor pater eius ex templo Hierosolimitano surripuerat, in conspectu aulicorum abutebatur, pœnas sui contemptus repente luit. Heliodorus qui templi thesauros diripere tentabat fuit virgis penē ad mortem vsque cæsus diuinitus ab Angelis. Antiochus qui templum combussit post thesauros exhaustos, à vermibus viuus consumptus est. Alcimus qui muros templi destruere moliebatur, paralisi dissolutus est. Iulianus apostatæ auunculus ob

*Dan. 5.*

*2. Mach. 3.*

*2. Mach. 9.*

facrorum Ecclesiæ vasorum expilationem malè periit. Et vt vno verbo concludam, omnibushis qui templa sacrilega impietate spoliarunt, infelicissimè cessit, vt de Cepione Romano narrant historiæ, & vetus illud confirmat prouerbum de auro Tolozano celebratum. Videtur interea, quod isti quos Vates insectatur, qui filios Iuda & Hierusalem Græcorum filiis vendiderant, vt quàm longissime à terminis suis remoti, nunquam in terram suam redirent, religiosores fuisse Hugnosticis, quandoquidem optima quæque templi Hierosolimitani non ad vsus prophanos accommodarunt, sed delubra falsæ & superstitiosæ religioni dicata, ditarunt, decorarunt, atque ornarunt. Dominus Deus pro sua singulari clementia ab huiusmodi profanis, ac sacrilegiis nos liberet, cui laus, honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

*Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos: Et conuertam retributionem vestram in caput vestrum. Et vendam filios vestros & filias vestras in manibus filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabbeis, genti longinque quia Dominus loquutus est. Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscite robustos: ascendant, accedant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas: infirmus dicat, Quia fortis ego sum. Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.*

**D**OMINVS Deus Ecclesiam suam, quæ vitis lasciuientis instar putatione indiget, vt plus fructus afferat, non sinit impiorum perpetuò iugo premi, sed humiliatam, castigatam, correctam, & emendatam non solum de hostium manibus eruit, & de eorum faucibus eripit & seruat, sed etiam mala quæ impij aduersus pios moliti fuerant, in capita ipsorum retorquet. Hæc possent pluribus exemplis confirmari, vt filiorum Israël ab Ægyptiaca liberatione, & Mardochei, cui Aman suspendium parauerat, diuina & miraculosa ereptione, nisi vates noster in ultimo sui vaticinij capite, istud luce clarius demonstraret. *Ecce ego suscitabo de loco, &c.* id est, vos vendidistis filios populi mei, & seruos fecistis atque in longinquas

*Exod. 14.  
Est. 7.*

ginquas regiones deportari curastis, sed ego afferam illos in libertatem, vobisque rependam iniuriam, qua eos affecistis. Tyrj, Sydonij, & Palestini, qui Iudæos Græcis, id est, transmarinis populis vendiderant, nunquam existimassent abductos in tam longinquas orbis partes rursus colligi posse, & rempublicam tam miserè dissipatam iterum constituere, Deus tamen per Vatem pollicetur hunc populum se suscitaturum è locis in quæ venditus fuerat, & in integrum restituendum. Tyranni qui christianos in exilia relegabant, putabant, huius sectæ memoriam penitus abolere, & Ecclesiæ nomen funditus extinguere, sed hac persecutione & aliis aucta est ipsa Ecclesia, vt quo magis demeteretur, incrementa susciperet. Huius rei faciet fidem tota apostolica historia. Cum Iudei increduli diuum Stephanum lapidibus obruissent, omnes discipuli demptis Apostolis, Hierosolyma aufugerunt, & statim Samaritani fidem amplectuntur, ad quos missi sunt Petrus & Ioânes vt manuum impositione Samaritani ipsi Spiritum sanctum acciperent. Cum impij de fidelibus canunt triumphum tanquam victores, tunc Deus opt. max. Ecclesiæ suæ causam suscipit, nec illi factam iniuriam sinit inultam. Mater potius filiorum vteri sui obliuisceretur, quàm ipse suorum, nihilominus illos varijs afflictionibus & ærumnis afficit, vt eos exerceat, & castiget, quò tandem castigati & ad meliorem frugem reducti salui fient, ruëtibus impiis semper in deteriora,

*Act. 7. 8.*

*Isa. 49.*



quousque Deus pro meritis suis exactè illis rependerit. *Ego suscitabo eos, &c.* Hic conspici licet in constituta ultionis & retributionis die, non solum qui sese populi Dei apertè professi sunt hostes vt Babylonij, sed etiam qui obscurius & magis dissimulanter eū persecuti sunt, quales Tyrj extitere, dignis suppliciis afficiuntur. Talionis legem minatur eis Dominus Deus hac pulcherrima Antithesi: Vos quidem populum meum ita dissipare conamini, vt restitutionis nulla spes reliqua esset, ego verò suscitaturus sum eos, & collecturus ex vniuersis gentibus, in quas dispereratis, & talionem vestram sic in caput vestrum rependam, filios vestras & filias vestras ego vendam in manum filiorum Iuda, qui eos Sabbæis sibi proximis ac penè finitimis à parte Australi, vt rursus ipsi vendant gentibus, quàm longissime à vobis distitis, quæ huc conueniebant, earum rerum euehendi causa, quæ in hac regione celebrabantur, vt auri optimi, gemmarum, aromatum & turis, quod in his locis omnium probatissimum est. Atqui dicit aliquis, nusquam inuenitur, Tyrios & Sydonios alios Iudæorum hostes ab ipsis Iudæis venditos esse: ita tamen loquitur Dominus qui videtur populi sui personam induisse, quando iniurias eius ulciscitur. Non enim diu sustulit quin ipsi Palestini Tyrj & Sydonij pœnas grauissimas luerent, ab his quos iuuarent aduersus populum Dei, quemadmodum ex *Isayæ*, *Hieremiæ*, & *Ezechielis* vaticiniis constat. Ista

*1. Reg. 10.*  
*Hier. 6.*  
*Ezech. 27.*

tamen quedam tandem præludia fuerunt veræ, *Isa. 14.* perfectæ, & omnibus numeris absolutæ restitutionis per Christum faciendæ, non eorum *Hier. 47.* Iudæorum, qui sanguine, sed qui spiritu & veritate verè Iudæi Deoque probati sunt. Nam simul hac Iudæi pŷchici & carnales persecuti sunt spirituales, Deus ipsos in Romanorum manus vendidit, quos in extremas mundi oras disperferunt. Ipsi interim Romani, qui sanguine Christianorum manus suas cruentarent, non multum post in Gothorum, Vandalorum, Lombardorum, Burgondionum, Normannorum, Alanorum immanissimarum gentium manus venerunt. Nemini dubium esse debet, quin similia vel asperiora & duriora omnes eos maneant, qui suis falsis adulteriis & corruptis doctrinis, tot & tam sæua cruentaque bella mouerunt, in quibus maxima Christianorum pars occisa fuit. Illi experientur Dei sententiam, veram, & exploratam esse, vt qui gladio occiderit, etiam gladio peribit. In die sancti Bartholomæi maris præfectus Colineus cum præcipua parte eorum qui prophetas & sacerdotes occiderant, & sacra templa populati fuerant, sensit manum Dei vindicem: sentiet & altera pars, cum Dominus Deus vindicarit sanguinem sanctorum suorum, qui impiè effusus est. Verù enimvero Vates hoc in loco non vult Christianos talionis legem docere, cum in oratione Dominica petamus vt debira nostra nobis dimittatur, quemadmodum dimittimus debitoribus

nostris, sed Deo vindictam relinquit, qui omnes  
 & præsentis & futuras Ecclesiæ persecutiones  
 quæ ad consummationem seculi permansuræ  
 sunt, vindicaturus est. Et quoniam promissio  
 ista magna erat, & creditu difficilis, subiungit  
 Vates, quod Dominus loquutus est. Sententiã  
 igitur eius firma & rata erit, euentu tandem suo  
 comprobanda, nec aliqua alia virtute impediri  
 potest. Non est impossibile apud Deum omne  
 verbum. Quantumcumque promissiones Dei  
 oculis carnis videantur impossibiles, veræ sunt  
 tamen, & Deo factu faciles, quemadmodum in-  
 finitarum prope rerum euentus satis superque  
 probauit. Saræ, vetulæ, sterili, & conceptionis  
 impoti, videbatur impossibile semen eius mul-  
 tiplicandum esse vt stellæ cæli & arena quæ est  
 in littore maris, & ideo risit, cum Deus istud  
 polliceretur, veruntamen re tãdem comproba-  
 tum est. Gedeoni non videbatur posse fieri, vt  
 hostes populi dei debellaret, quod & miraculo  
 & opere possibile cognouit. Vt autem veteris  
 instrumenti exempla pertranscam, aliqua noui  
 in medium producamus. Zacharias sibi persua-  
 dere non poterat Elizabeth vxorem conceptu-  
 ram & parituram filium, quod tamen vt Ange-  
 lus dei nomine promiserat, effectum est. Quis  
 vnquam ne cogitatione quidem existimasset,  
 virginem sine viri semine concipere & parere  
 potuisse? Quis intelligere potuisset Christum  
 fidelibus carnem suam dare ad manducandum,

Luc. 1.

Gen. 17.

Jud. 6.

Luc. 1.

Ioan. 6.

nisi persuasum haberet nõ impossibile esse apud  
 Deum omne verbum? Si aliqua in re fidei & re-  
 ligionis nutare nos contigerit, ob oculos sem-  
 per ponamus hanc sententiam toties à prophe-  
 tis vsurpatam, quod Dominus loquutus est.  
 Nam ipse verax est, & potens efficere omnia,  
 quæ promittit, & quæcunque sibi placuerint.  
 Quamuis omnes humanæ vires in vnũ collige-  
 rentur, officere non poterunt, veluti eleganti  
 sarcasmo & ironia demonstrat vates. *Chamate*  
*hæc in gentibus, sanctificate bellum, suscite robustos,*  
 id est, conscribite exercitum, præparate, qui bel-  
 lum ineant, prodeant in apertum fortes, vtrum  
 Tyrios, Sydonios & Palestinos præsentis pericu-  
 lo potuerint eripere, & contractis vndique au-  
 xiliis Domini decretum impedire. Hæc pote-  
 rant animũ Iudæis addere, vt ad tollerantiam se  
 fortiter præpararent, nec Dei iudicium, quod  
 eorum hostes manebat, anteuertent. Nam et-  
 si lente & tardo gradu ad vltionem & vindictã  
 procedat, grauitate tamen supplicij tarditatem  
 compensabit. Et vt magis animos remissos le-  
 uaret, rem propositam amplificando virget hy-  
 pothiposi, id est, rem quasi suis omnibus co-  
 loribus depictam oculis subiiciens. Cum ve-  
 hementibus & variis tentationibus præmimur,  
 Deum immortalem quanta cum difficultate  
 erigimur. Quapropter necesse est constan-  
 tissimis & firmissimis Dei promissionibus  
 nos fulciri, alias omni hora nutantes suc-

cumberemus. Ista promissio debuit esse firma & rata, quandoquidem potuit dominus Deus ex omnibus gentibus conscribere exercitum, ut de hostibus populi sui supplicium sumeret. Non dat verba quemadmodum ij, quibus vires & copia deficiunt. Nam posset statim, quod promittit exhibere, cum ad eius arbitriū & nitum omnes ei creaturæ obediant. Hinc iubet, Publicate hoc in gentibus. Accedant atque conglomerent sese, quotquot militiæ assuerint, atque bellum docti sunt. Ex vomeribus vestris conficite vobis gladios, & ex falcibus vestris lanceas. Et qui inter vos debilis est, sumpto animo sese irroboret, ac fortē dicat, & ut græcè habetur, ὁ πρῶτος ἐστὶ μαχητής, id est, & mansuetus verè pugna. Multis enim ac variis modis Deus impios, qui aduersus sanctos furiant, militare potest, modo vero apertè docet, quo supplicij genere affecturus sit omnes gētes, quæ pertinaci animo vniuersæ in Iudæorum ruinam conspirauerant, bello nimirum, quod præditiis transeuntis & sollicitantis instar multis & grauibus verbis denunciat. Non tamen ista sic intelligenda sunt, quasi Deus simul congregauerit ex omnibus gentibus exercitum ad vindicandam Ecclesiam, sed vicissim gentem vnā aduersus alteram armauit, ita ut alia post aliam pœnas subiret, quas merita fuerat, se mutuis vulneribus conficiendo: quemadmodum cum de Tyriis & Sydoniis supplicium sumere voluit, Persas & Medos commouit: in eis verò

ulciscendis græcorū opera vsus est. Græcos Romani vexarunt, & Romanos Galli, sicque nulla gens inultra remansit. Ante finem seculi totum terrarum orbem turbandum esse prænuñciauit Christus, aduersus quos tumultus, fideles animat, dicens, Cū audieritis prælia & seditiōnes, nolite terreri: oportet enim hæc fieri, sed nō dum statim finis. Nam priusquam seculum finiatur, Ecclesiæ hostes mutuis vulneribus cadant, necesse est. Ut autem irremissum bellandi studium magis exprimat, fore dicit, ut nullus sit aratri vel falcis vsus. Nemo amplius agricultura, quæ tempore pacis florere solet, dabit operam: potior erit belli cura quā arandæ terræ & demetendæ segetis: cū etiā ad bellum inepti sint belligeraturi. Terra inculta iacebit. Omnes ad arma se conferent, etiā debiles præ senio, quos ætas excusabat. Quis vnquam in Europa tam ardens bellandi studium audiuerat, quam ab eo tempore quo religionem auitam pertasi hæreses amplexi sumus? Antea concideramus gladios nostros in ligones, iuxta Isayæ vaticiniū, & lanceas in falces. Modo verò neglecta agricultura & aliis optimis artibus, magna regnorum & rerum publicarum pars arma exercet, ferrum stringit non in hostes sed in reges, principes & optimates, qui de Ecclesia semper optimè meriti fuerant. At vero ipsi non multò post tot bella & seditiōnes, falsæ religionis vel potius rebellionis ergò motas, manum Dei vindicem senserunt. Nam vno die apud Moncontorium sex-

Psal. 2.

Act. 9.

decim hugnosticorum millia interempta sunt. Quamuis aliquo usque sinat Deus impios procedere, interea stultos conatus ridens, non tamen semper ridet, loquitur etiam aliquando in furore suo, dum impios retundit & perdit. Animaduersione interim dignum celsi, Deum Ecclesie hostes dupliciter sternere, vel ad salutem eum se verbo submittunt, ut Paulus ad Damascum, vel ad exitium eum verbum contemunt & persequuntur, ut Pharaon, Saul, &c. Admonent quoque ista quantopere Ecclesia sit curæ Deo opt. max. Quomodo enim propter Ecclesiam imperia, regna & respublicas feriat, ita eadem ipsa perdit, & funditus euertit, quando illam persequitur, & profligatam volunt. Quomodo enim huiusmodi huiusce benevolentia, amoris & charitatis Deo erga Ecclesiam suam impie sumus inamatores, imò gratias immortales quoad poterimus, ipsi gravissime semper habeamus & agamus. Cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

## HOMIL. XIX.

*Consurgant & ascendant gentes in vallem Iosaphat. quia ibi sededo, ut iudicem omnes gentes in circuitu. Amittite falces, quoniam maturavit messis: Venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum. Populi populi in valle concisionis: quia iuxta est dies Domini in valle concisionis. Sol & luna obtenebrati sunt: & stellæ retraxerunt splendorem suum: Dominus à Syon rugiet, & ab Hierusalem dabit vocem suam: mouebuntur celi & terra. Et Dominus spes populi sui & fortitudo filiorum Israel.*

**V**ix ac ne vix quidem posset orator vllus, iudicalem causam suis omnibus coloribus depictam inuentium oculis perfectius & absolutius subiicere quam in hoc loco Vates noster, qui iudicem equissimum, reos quos iudicio sisti oporteat, sententiam, causam poenæ, & æquitatem iudicij ac cætera quæcumque ad verissimum & æquissimū pertinentia iudicium mirifice & stiloplusquam humano conscripsit. *Consurgant inquit, & ascendant gentes in vallem Iosaphat*, ac si diceret, ne putent improbi se posse semper impune pios affligere: accingant atque apparent sese omnes gentes, ascensuræ in vallem iudicij, vbi mercedem suis factis dignam recipiant, quæ

populum meum tandiu impunè vexarunt, nam ibi sedebo, gentes omnes iudicaturus, quæ circumquaque sunt. Seipsum iudicem pronuntiat Deus, qui suorum afflictiones & ærumnas diutius dissimulasse videbatur, & idcirco multi cùm ratione infaniètes, cùm stolidè improbis ansam arripiebant, vt dicerent, vel Deum non esse, vel hominum curas minimè spectare: sed cùm sapere incipient, tunc intelligent illum iudicem esse, qui aures tanto, tamque mirifico artificio condidit, & oculos finxit, quomodo igitur ille ipse non audiret? Quomodo non videret? Ipse est, quem nullum latet secretum, cordis interiora rimatur, nihil eius oculos effugit, neque etiam (vt huiusce mudi iudices) verborum ambagibus decipi, neque muneribus corrumpi potest. Ipse sedebit in sede magestatis suæ, & omnes Angeli cum eo. At vero videamus qui sint coram tanto iudice sistendi. Omnes gentes, nimirum, quæ in valle Iosaphat suorum scelerum pœnas exoluent, istud iudicium nullis hominum artibus aut viribus delineari potest. Tanta enim erit diuinæ citationis vis, vt cùm tempus vindictæ venerit, omnes nolint, velint, puniendi adesse ac præsto esse oporteat. Venit hora, inquit Christus, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei: Cænet enim tuba, teste Apostolo, & mortui resurgent. Et in alio loco: Ipse Dominus in iussu & in voce archangeli, & in tuba Dei descendet de

Matth. 25.

Ioan. 5.

1. Cor. 15.

1. Thess. 4.

cælo, & mortui qui in Christo sunt resurgent primi. Apud Daniele scribitur, quòd qui dormiunt in terræ puluere, tunc excitabuntur. Et Ezech. 37. apud Ezechielem: Ossa arida audite verbum domini: Ecce ego intromittam in vos spiritum & 1. Cor. 15. viuetis, &c. Martha credebat fratrem suum in illa die surrecturum: Verum enimverò sicut stella differt à stella in claritate, sic erit resurrectio mortuorum. Illud tamen non cognoscitur vsque ad futurum illud ineuitabile iudicium, quod Deus exercere cogitur, quando impiorum malitia suam periodum attigerit, veluti metaphoris ex re rustica petitis, nimirum è messe & vindemia hoc loco demonstratur. *Mittite*, inquit, *falces, quia maturauit Messis*, &c. Angelos suos alloquitur Deus, quasi diceret, Congregate omnes ad iudicium, & has impias gètes quasi segetem bene maturam, demetite: Torcular enim plenum est: torcularia ipsa exundant & profluunt, adeo est multa eorum malitia & improbitas. His similibus D. Ioannes in Apocalipseo libro rem eandem cum Ioèle describens vtitur: Et alius Angelus inquit, prodiit è templo clamans voce magna ad eum, qui in sedebat nubi, Mitte falcem tuam & mete: quia tibi venit hora, vt metas: nam aruit messis terræ. Misit igitur is qui in sedebat nubi, falcem suam in terram, & demessa est terra, & alius angelus prodiit ab altari, qui habebat potestatem super ignem, & clamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens, Mitte falcem tuam acu-

Act. 14.

Gen. 15.

tam, & vindemia botros vineæ terræ: nam maturæ sunt vna eius. Vterque nefandos Ecclesiæ hostes cum messe & vindemia confert, quos Deus mirabili patientia tolleravit, nimirum quousque ipsi ad maturitatem perducti essent, id est iniquitatis mensuram impleuissent: Hoc enim maturitatis argumentum, de qua expectanda alio in loco dictum est: Quia nondum completa est malitia Amorrhæorum. O quam maxime falluntur, qui ex longanimitate Dei, peccandi impunitatem & licentiam sempiternam assequi putant: vellem agricolas conspicerent paulo attentius, qui fruges, priusquam maturuerint, non demerunt: Sic deus iudicia sua non temere præcipitat: maturum tempus expectat, dum ipsorum malitia usque ad cumulum peruenerit. Huiusmodi vaticinio remissorum corda leuantur, quemadmodum futura messis & instantes vindemiæ fessum agricolam (qui tandiu expectauit, laborauit & alsit) recreant. Quemadmodum enim cum videmus messem albescere, certo scimus paucis abhinc diebus iam demerendam esse: sic cum agnoscimus impios deuota & incurabili malitia, & cum verbi Dei contemptu peccare, certum est eos ipsos breui Domini Dei falce secandos esse. Nam ut albescens messis & acinos rubescens ac purpurascens vnus & alter dies ad maturitatem perducit, & mensuram ad suprema labra impletâ gutta vnica redundare facit, ita sapissime contingit, ut quæ leuicula videtur, peccatorum mensuram impleat,

quam Deus transgredi nusquam sinit. Vtinam Dei iudicia non temere anteuertemus, neque longanimitati & patientiæ ipsius terminos constituere frustra tentaremus: liuor enim emulus nos vñt, si beatos prauos viderimus, & ipsorum sclicitati inuidemus, & nisi Deus quam citò eos vlciscatur, impatientes susurramus. D. Augustinus Donatistas pluribus insectatur, quod messem anteuertent, sciscitaturque ab illis, si ipsi sint Angeli messores, quos Dominus missurus *Matth. 13.* est, ut colligat agri dominici zizania, quæ in fasciculos collecta in ignes perpetuis flammis exurenda coniciantur. Quis enim dicat, de quibus, atque quid significet quod dicit, Mittite falces, quoniam maturuit messis, satis superque demonstrat illa Euangelica parabola seminantis, vel boni seminis & zizaniorum agri: De quibus cum dixisset serui patris familias, Vis eamus & colligamus ea? Sinite, inquit ille, vtraque crescere ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, Colligite primum zizania & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Messis, inquit Christus, est consummatio seculi: Mittere filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scadala: qui hæc igitur dicit, Mittite falces, quia maturuit messis, filius hominis est, qui & antequam fieret filius hominis, erat ut nunc est filius dei, & hæc & ceteræ loquebatur in prophetis: Messores autem eius Angeli sunt, & ipsa maturitas messis, finis est seculi, quando se-

cundum præscriptam disceptationem iudicij  
facienda est separatio tritici & zizaniorum  
agri: Tunc vniuersaliter fiet, quod nunc in-  
terdum particulariter fit, vt à reprobis omni-  
nò separètur electi, sicut in torcularibus vinum  
in apothecis reponendum, separetur ab acinis  
vinaceis foras proiciendis, idque contingit, dum  
impij suæ improbitatis metas vltimas. attinge-  
runt: quemadmodum in illavniuersali aquarum  
eluuione factum est, quando omnis caro viam  
Gen. 7. 19. suam corruerat, & in Sodomitarum incendio,  
quorum peccata adedò aucta fuerant, vt ad con-  
summationem peruenissent: Habet quidem ter-  
minù & tempus quod ad scelera hominum pa-  
tienter tolerat, quo transacto in sceleratos acriter  
animaduertit: Et id vocat messem, quando  
videlicet malitia creuit ad iustam mensuram,  
ita vt non posset diurius differri iudicium: Mul-  
tum equidem vereor Christiani auditores, ne  
huiusce seculi hominum scelera ita sint multi-  
plicata & aucta, vt iam messis maturuerit, & An-  
geli iam falcem teneant vt refecent illas herbas  
noxias, quæ puro frumento multum nocuerūt.  
Nonne quotidie perspicimus illa præterita at-  
que antiqua Noëmi tempora redisse? Nescio  
equidem si nostra non sint multo deteriora.  
Gula & ebrietas, luxuria & avaritia, perfidia,  
homicidia, & cætera quæque flagitia passim im-  
punè grassantur: impietas, hæresis & infidelitas  
nullo modo arguuntur: Magistratus vbique  
contemnitur. Omnino scelera omnia maio-

rem in modum excreuerunt: nec vllus est qui  
emédationem, aut pœnitentiam ex animo me-  
ditetur: Ex quo colligere licet diem nouissimū  
non longè abesse. Nam dicebat Christus, Cùm  
venerit filius hominis, putas inueniet fidem su-  
per terram? Vigilemus ergo qui superstites su-  
mus, & ne grauentur corda nostra crapula, &  
ebrietate, vel ne curis huius seculi simus nimium  
addicti, omni abiecta cunctatione & rerum se-  
cularium molestia, leues omnino & expediti cur-  
ramus obuiam Christo Domino, quādo in val-  
lem triturationis omnes in vniuersum Ecclesiæ  
hostes (qui scelera sua vsque ad maturitatem  
perdlexerant) venient, vt ibi conterantur, quem-  
admodum post messem segetes tritulari solent.  
Vates suam similitudinem ex agricultura peti-  
tam prosequi videtur, in qua patethicus & affe-  
ctibus plenus totum negotium describit, ac si  
coram gereretur. *Populi populi*, inquit, *in valle*  
*concisionis*, vel turbæ turbæ in valle triturationis  
וַיְרֹא עֲנַן & concisionem & tribulam (qua  
frumentum tritularur) significat: Illa nominis  
pluralis reperitio Hebræis vsitata, frequentiam  
denotat: Sensus ergo Prophetæ est, omnes po-  
pulos & præcipue inimicos Dei, in vnum locum  
conuenire oportere, vt trituratione vel tribula  
iudicij definiti, determinati & concisi, purum  
& putum frumentum à palea separetur. Ratio-  
nem suæ metaphoricæ locutionis explanando  
subiicit, *Quia propinquus est dies Domini in valle co-*  
*cisionis*, quam prius vallem Iosaphat vocauerat.

Ea dies vindictæ adeo certa est, vt non etiam longè absit, nam quò magis improbi Ecclesiam persequuntur, illà iudicij diem magis accelerant, quæ quidem res in maximis persecutionibus plurimam consolationem affert. Non relinquit

*Psal. 114.* Dominus perpetuò virgam peccatorum, super iustorum fortem: conteret tandem aliquando impiorum colla. Non semper lasciuient hædi cum dominicis ouibus. Videbunt tandem increduli filium hominis (qui & filius Dei est) sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Et vt huius diei acerbiter explicaret, solem & lunam cum cæteris astris suum splendorem amissurum dicit: vel quia christi claritas qui in nubibus cum sanctis suis venit, astra obscuratura est, vel potius hac solis & lunæ obscuracione maximas tribulationes & angustias designat, Tunc enim omnis creatura armabit se contra insensatos & impios. Magna ista duo luminaria in principio creata, vt innumeras comoditates hominibus afferrent, in authoris sui indignatione, in iudicio, & ultione, se ad nutum obedientia præstabant: Nostræ consolationi aduersus impiorum conatus ista feruiunt, qui perpetuò pro sua libidine non ferocient, immo ante Dei summi tribunal sistendi sunt, vt scelerum dignas luant pœnas. Sanctorum vero fors longè alia ventura est, nimirum cum Dominus velut inuictissimus leo è Syone rugiet. Ex Hierusalem daturus vocem suam, ad quam cæli & terra contremiscent: nam populo suo

suo dominus refugium erit, & filiis Israel fortitudo. Stabunt iusti in magna constantia aduersus improbos, qui ipsos immaniter oppresserunt & excruciarunt. Dominus erit fortitudo plebis suæ Israël. Quemadmodum leo non temere rugit, quin prædam ceperit, cuius rugitus propriis quidem catulis securitati, cæteris vero animantibus maximo pauori ac terrori esse consuevit, sic Christus pauorem & horrorem incutiet, victis & superatis hostibus suis. hunc tremendum rugitum aduersus illos edens, discedite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: filiis verò suis benignè dicit, venite benedicti patris mei, possidete vobis paratum sempiternæ felicitatis regnum à constitutione mundi. Quam accommodatissimè Christus Deus & homo leoni fortissimo ad prædam perauidè rugienti confertur, quam sibi eripi non sinit! nam & alibi vocatur leo de tribu Iuda, è cuius manibus oues suas nemo eripere potest. bene ergo speremus in Syone, id est in Ecclesiæ sancto cœtu, & contubernio manentes, cum dominus Deus sit spes & fortitudo nostra, cui laus, honor & gloria, in secula seculorum, Amen.



*Scietis autem, quia ego dominus Deus vester habitans in Syon, in monte sancto meo: Et erit Hierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam amplius, & erit in die illa: stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes riuos Iuda ibunt aqua: & fons de domo domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum. Aegyptus in desolatione erit, & Idumaea in desertum perditionis: pro eo quod inique egerint in filios Iuda, & effuderunt sanguinem innocentem in terra sua. Et Iudaea in aeternum habitabitur. Et Hierusalem in generationem & generationem: & mundabo sanguinem eorum, quos non mundaueram: & dominus commorabitur in Syon.*

**H**T si vniuersa celi machina & mirus ordo siderum, eorum conuersiones, cursusque varius & multiplex, satis superque Deum omnipotentem, infinitae virtutis & efficientiae demonstrant, tamen in ecclesia sua hostium infensissimorum medio tuenda, defendenda, & conseruanda, plusquam omnibus aliis in rebus ipsius virtus & patientia summopere relucere videtur. Unde vates in sui vaticinii peroratione docet, quam excellentibus donis dominus Deus ecclesiam abunde cumulaturus, & quam acerbissimas poenas de impiis sit sumpturus. *Scietis tum inquit, quia dominus Deus vester habitat in Syon monte sanctitatis meae.* Perspectum habebitis, quod sum vestri amantissimus, quamquam id mul-

to tempore simulauerim, & quod habitem vobis praesens in Syon in monte mihi sancto. Cum enim suo tanto afflictionum pondere Deus nos premi sustinet, diffidimus, ac si nos obliuioni dedisset, & licet verbum eius satis nobis esse deberet, ad vires colligendas, ne sub onere tanto succumberemus, experientia tamen ipsa ostendere solet quod sit in Syon in ecclesia militante, quam postea triumphantem faciet. hoc loco docemur, si Deus in tentationibus & maximis periculis non statim nos iuerit, de eius tamen bonitate, clementia, & misericordia bene sperare, quam tandem maximam ipso effectu cognoscemus, certo intelligemus & re ipsa experiemur. Quod si in hac lachrymarum valle ingemiscetes grauatique non semper illud re ipsa sentiamus, fide tamen fulti credimus quod confecto Antichristo & sectatoribus eius, in aeternum exitium praecipitatis, nos tandem aliquando recipi in aeterna tabernacula ibique nobiscum Deum sempiterno quo habiturum in Syonis monte, illo magno & edito, in quo vidit Ioannes ciuitatem illam sanctam Hierusalem, descendentem *Apo. 21.* de caelo, & ad eum habentem claritatem dei, & lumem instar iaspidis, aut christalli, in qua quidquid erit, pura & sincera sanctitas erit. Qui sunt filii frugum summis votis tempus istud exoptulent, ubi immorigeri & rebelles vellent nunquam esse futurum. Scient tamen vtrique deum in Syone esse, in monte inquam, sanctitatis. Syonis meminit ad foedus respiciens, quod

Deus cum populo suo pepigerat, & sanctitatis etiam, ut qui vellent fœderis & promissionum Dei fieri participes, sanctitati vehementer etiam atque etiam studerēt. Nam Hierusalem inquit, erit sacrosancta, & alieni per eam amplius non transibunt. Prophani & impii tunc cum piis non miscebuntur, quia Ecclesia illa triumphans, electis, iustis atque piis constabit: propterea monemur, ut simus sancti, quia

*Leu. 19. 20.* & Dominus Deus noster sacrosanctæ Hierusalem caput, sanctus est, fides pia operibus bonis coniungenda, sic ut semper bene sentiamus recteque faciamus, ad bene, beatèque viuendum. David hanc questionem mouens, *Quis* habitabit in tabernaculo tuo? *quis* requiescet in monte sancto tuo? respondet, Innocens manibus & mundo corde. Foris erunt canes & venefici, impudici & homicidæ, & idolis feruientes, & omnis qui amat & facit mendaciū. non intrabit in hanc cælestem ciuitatē aliquid coinquinatum. Non adiiciet vltra, id est non feret, non sinet, nō patietur post hac, ut pertrahat per te, inquit Esayas, ô Hierusalem in-circumcisus & immundus. Hæc & similia que passim reperiuntur in nouo & veteri testamento de sancta Ecclesia, quæ futura est sine ruga & macula, non sic sunt intelligenda, ut ipsa (quam diu degerit ac militarit in hoc impio seculo) hanc perfectam & omnibus numeris absolutam perfectionem adipisci possit.

*Mat. 13. 25.* nam ad messēm vsque erunt zizania cum tritico permixta, hæc cum ouibus vsque ad ves-

peram in pascuis commorabuntur. Mali pisces cum bonis in verriculo & sagena, quousque in littore separentur remanebunt: stultæ virgines cum prudentibus vna dormient, donec sponso obuiam prodeant. Palea cum frumento retinebitur, donec dominus aream suam purgauerit. Illam ergo sanctitatem & puritatem in cælesti & triumphanti Hierusalem expectamus, in qua neque fletus neque dolor erit vltra, neque etiam prophani ad illam ingredientur, nec in illa vestigia ponent. Huius sanctæ ciuitatis felicitatem translationibus & parabolis, de rebus quibus sensus nostri maxime delectari solent, copiose & perspicue depingere vates pergit. *Et erit in die illo stillabunt montes mustum*, & c. Necessè enim fuit hyperbolicis istis locutionibus uti in tanta & tam copiosa felicitate describenda, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque hominum mentes perscrutari potuerunt. Animalis homo Iudæus, qui terram sapit, cum nostrorum aliquibus crassum Iudaismum adhuc respicientibus, credidit ista carnaliter implenda esse, & nostri ad mille annorum fabulam (verbis Domini Hieronymi vtor libens) referunt, quando putant Christum habiturum in Sion, & in aurca atque gemmata Hierusalem illa sanctorū populos esse congregandos: ut qui in isto seculo oppressi sunt ab vniuersis gētibus, in hoc eodem cunctis imperent nationibus. Ea interpretatio ad eodē crassa est, ut post Dionysium Areopagitam & Alexandrinum, Eusebium, Hiero-

*Isa. 65*

nimum, Augustinum & multos alios, confutatione minimè indigeat: de regno Christi spiritali omnia ista spiritaliter intelligi debent. In illo enim nouum euāgelii mustum in vtres veteres non effundendum abundè destillat, quò respexisse Dauid videtur, cum dicit, Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo: illo nouo vino recreat vtique suorum mentes in persecutionibus Christus, atque eorum corda ita latificat, vt læti & gaudentes exirent à conspectu conciliorum, quod digni habiti fuissent pro Christo contumelias pati. Cum autem in regno Christi sint paruuli, qui adhuc lacte indigeant, lac ibi offertur sincerū dolique nescium, (vt Petrus ait) quod ipsis paruulis & infirmis familiare & salutare exhibet alimentū. ne autē aliquid deficeret ad sitim (in animatibus grauissimā affectionem) restinguendā per omnes riuos Iudæ, eius videlicet que vere confitetur & colit Deū, ibūt aquæ. *Et fons etiam egredietur de domo Domini qui irrigaturus est vallem spinarum.* Perpetua aquarum, id est, spiritus sancti donorum, scaturigo totum ecclesię agrum irrigare non desinit. Nihil in isto agro siccum erit, abundantibus vtique cunctis gratia illa spiritali: Hic fons etiam intelligi potest baptismus: vt Zacharię 13. qui est ad peccatum & ad sordes eluendas. Huius enim virtute intermoriētur spinæ humani cordis asperæ & aridę, fietque terra maxime fertilis & frugifera Domino. Quamuis enim ecclesia particeps futura sit tantę benedictionis, vt vsque ad val-

Psal. 118.

Act. 5.

1. Pet. 2.

lem Sittim Moabitibus propinquam ipsa benedictio se diffundat, id est, vsque ad gentes, deserto, nihil aliud quam spinas producenti, similes, ea ipsa tamen Ægyptii & Idumæi carebunt, cum feri & minaces essent hostes. *Ægyptus in solitudinem erit, & Idumæa in desertum solitudinis erit,* propter vexationem, rapinam seu iniuriam filiorum Iudæ. Vide quantum peccatum sit apud dominum, sanguinis innocentis effusio, propter quam totę regiones florissimæ horrenda fient deserta. Sub his duobus populis qui Iudæos profugos nullo vicinæ habito delecta miserè afflicturū omnes alios cōplectitur, quos adeò nihil nocituros dicit in posterū, sed potius excidendæ sint, & vna cum terris suis infeliciter perituri. licet dominus Deus non statim cum iniuste affligimur, occurrat, non tamen nos deseruit: quod quidem persequutionum exitus, præter hominum opinionem felix & beatus semper probat. Quotidiè hanc promissionem esse veram experimur, quando Christus in medio inimicorum suorum dominatur, suos inter quotidianas afflictiones tuetur & defendit, & in hostes horrenda sui iudicii exerit exempla. Quis non summè miratur Christi nomen in omnibus Turcæ (Christianis infensissimi) ditionibus audiri, venerari, & coli? Qui locorū sacrorum visandorum gratia Hierusalem proficiscuntur à turcis humanissimè tractantur. Nonne hoc est Christum dominari in medio hostium suorum? Hæc in sanctis planè perficientur, quan-

do extra teli iactum ( quod aiunt ) constituti in cælis cum capite nostro infinitis bonis perfruentur, Ecclesiæ persecutoribus interimi igne inextinguibili miserabiliter afflictis.

*Iuda enim tum in æternum habitabit, & Hierusalem à generatione in generationem: Vbi impij, quorum gloria est instar freni, in inferna detrudentur: filij Dei perpetuò prosperi efficientur: in secula seculorum laudabunt nomen domini, inde signanter Deo & agno decantabunt, Benedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo in secula seculorum. Quæ redempti sunt à domino reuertentur & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum: Quid enim prodest ad tempus, vt improbi, florere, tum demum ignominia perpetua affici: non sic sancti quorum redemptionis fructus in æternum durabit, in secula, perpetuòque perstabit. Iuda ergo in æternum habitabitur, & perpetuo persistet. Perpetuitas ista satis indicat hanc vltimam vaticinij partem non de terrena & carnali Hierusalem, sed de cælesti spiritalique intelligendam esse, quandoquidem vetus Hierusalem funditus destructa fuit, & Iudæa carnalis à sua vltima dissipatione nullam prorsus rempublicam constituere potuit. Ecclesia vero in qua manebit dominus Christus vsque ad consummationem seculi, ne portæ inferorum aduersus eam præualeant, perpetuò regnabit in cælis. Quid ergo minas & terrores, tum potētissimorū tyrannorū, tum fraudulentorū hæ-*

*Apoc. 7.*

*Isa. 51.*

reticorū trepidātes perhorrescem⁹. Quid vti que post se reliquerunt, nisi perpetuam ignominiam & confusionem? Iusti verò gloria & honore decori, in perpetuū beatissimi viuunt atque florebunt, & ab altissimo mercedem benefactorū misericorditer consequentur amplissimā. Ipsi sunt sancta & noua ciuitas solidissimo muro iaspideo, & quadrata mensura figuræque constans, quæ perpetua, stabili quæ mansione habitabitur, cum Deum ipsum propugnatores semper sit habitura. In illa dominus commorabitur, cuius fundamenta sunt in montibus sanctis, cuius portas diligit dominus super omnia tabernacula Iacob, de qua tam mirabiliter, quam veraciter loquitur spiritus sanctus. Et homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus: ibi commorabitur, ibi moram faciet æternam, ibi semper videbitur Deus deorum, semperque desiderabilis erit ad videndam. At vero priusquā hæc omnia cōpleantur Deus mundabit sanguinem eorum, quem non mundauerant, id est, vt septuaginta habent, Requirit sanguinem eorum inultumque esse non patietur, homicidia cæteraque peccata hostium Ecclesiæ vindicabit, de quibus pœnitentiam non egerunt. Nam si in tempore ipsi resipuissent, non per æterni iudicij sententiam mundati vel potius puniti fuissent, insontes ipsos declarasset dominus Deus, qui sanctus & immaculatus commorabitur in Syon. Sanguis enim piorum effusus, qui iuste fusus videbatur mūdo, vtpote propter magicas artes,

*Psal. 86.*

homicidia, incestus, qui calumniose primis christianis obiiciebatur, seditiones, vitata religio, declarabitur iniuste fufus, exitio videlicet impiorum, qui eum fuderunt. Ista coronis at peroratio maximam Ecclesie catholice consolationem affert, illic perpetuo dominuserit, nec illic unquam discessurus est ut antea videbatur, cum eam libidini impiorum permittebat. Cum vero in illam sanctam ciuitatem nihil coinquinatum, nihil profanum admittendum sit, aliqui istud hemistichium, *Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundavi*, de ecclesia intelligunt, quum Christus precioso sanguine suo a sordibus purgauerit, & precipue eos quos ex gentibus vocauit. Ipsi enim legalibus expiationibus omnino caruerunt quibus mundari possent: nam ut dicit apostolus, deus passus est eos suis licenter viis ingredi, qui cum inimici essent, reconciliati sunt ipsi deo patri per mortem filij sui. Mundauit ergo sanguinem gentium, id est peccata & scelera (quibus referte erant) per verbum cui obedierunt, & sacramenta, quibus initiati sunt. O ter quaterque felices, quorum remissa iniquitates, & quorum recta sunt peccata, quae nullo modo aboleri poterant sanguine taurorum aut vitulorum, sed sanguine Christi duntaxat, qui habitabit in Syonem, super quam a patre rex constitutus est, cui laus, honor & gloria in secula seculorum, Amen.

FINIS HOMELIARVM

IN IOELEM.

INDEX RERVM INSIGNIORVM, QVAE IN HIS HOMILIIS comprehenduntur.

NUMERVS FOLIVM, LITERA  
verò sequens paginam indicat.

A

- A**fflictiones nobis doctorum loco esse debent. 64.a  
**A**fflictiones piorum sunt Deo curae. 86.a  
**A**ngelorum ministerio utitur Deus in liberandis hominibus. 62.a  
**A**ngeli & Scoti coegerunt catholicos patria cadere. 84.b  
**D.** Augustinus consensu patrum convincit peccatum originale in parulis. 6.b  
**A**ulici habent potius rationem humani quam diuini auxilij. 2.a

B

- B**arbaras & exterarum nationes excitat Deus ut peccata nationum puniat. 32.b  
**B**elli incommoda. 17.b  
**B**ellum commune incendium. 46.a  
**B**ellum incendio comparatur. 29.a

C

- C**alvinus arguit Christum locutionis impropriae. 48.a  
**C**ampanarum usus in ecclesia. 31.a  
**C**ardinales aere alieno grauati moriuntur. 87.a

## INDEX.

<i>Caroli Magni zelus erga ecclesiam.</i>	47.b
<i>Carolus Magnus quaedam de pietate scripsit.</i>	47.a
<i>Ceremonia sine pietate inutiles.</i>	43.a
<i>Chiliastra aureum seculum sibi promittunt.</i>	77.a
<i>Chorus pars principua templi.</i>	52.b
<i>Ciuitates maritimæ parum fideæ.</i>	86.b
<i>Clericis non deerat olim sua excommunicatio.</i>	52.b
<i>Cætus sacri frequentandi sunt.</i>	50.a
<i>Commendatarii.</i>	87.b
<i>Communia in ecclesia veteri solemnibus diebus celebrantur.</i>	26.b
<i>Concilia œcumenica errare non possunt.</i>	69.a
<i>Concionatores catholici insectari debent sacerdotum vitia.</i>	21.a
<i>Conuersos comiter alloquitur Deus.</i>	88.b

## D

<b>D</b> <i>Electus ciborum probatur.</i>	22.b
<i>Delectus personarum non est apud Deum.</i>	74.b
<i>Desolatio Hierosolymitana.</i>	34.b
<i>Deus armare solet animalcula contra feracissimas tyrannos.</i>	9.a
<i>Deus armat monarchas, vt de impiis supplicium summat.</i>	34.a
<i>Deus multis modis dicitur esse in ecclesia.</i>	68.b
<i>Deus prius castigat verbis quàm verberibus.</i>	32.b
<i>Deus suos prodigijs &amp; portentis præmonere solet.</i>	8.b
<i>Diem Christi patres antiqui viderunt.</i>	63.a
<i>Dies S. Laurentii &amp; Bartholomæi.</i>	25.b

## INDEX.

<i>Disimulatio filiorum huius seculi.</i>	36.a
<i>Doctor &amp; pluuia inter se conferuntur.</i>	63.b
<i>Doctrina, quam filii à patribus discunt, magis ipsorum mentibus hæret.</i>	5.b
<i>Doctrina tradita plurimum valuit apud christianos &amp; Ethnicos.</i>	5.b
<i>Druides Galli, Pythagoream philosophiam secuti sunt.</i>	5.b

## E

<b>E</b> <i>Brietas plurima secum mala adfert.</i>	10.a
<i>Ebriorum mores graphicè depinguntur.</i>	ibid.
<i>Ecclesia catholica laudes &amp; epicteta.</i>	79.a
<i>Ecclesia sanctificatio.</i>	49.a
<i>Ecclesie quare seuerius tractentur infidelibus.</i>	36.a
<i>Ecclesia sponsa comparatur.</i>	16.b
<i>Ecclesia sola veram inuocationem nouit.</i>	78.b
<i>Exuperius Tolozanus episcopus pauper exitit.</i>	87.b

## F

<b>F</b> <i>Fames plaga maxima.</i>	9.a
<i>Fames verbi Dei.</i>	26.a
<i>Fastus tyrannorum tenuissimis bestiolis domatur.</i>	65.b
<i>Feræ sibi remedia adhibent.</i>	25.a
<i>Fides eadem in veteri ac nouo testamento.</i>	71.b
<i>Fides ex personis non probatur.</i>	20.a
<i>Fletus in parentalibus sit modestus.</i>	15.b
<i>Francorum reges à fide nusquam defecerunt.</i>	2.b
<i>Francorum reges currunt strumis laborantes.</i>	58.b

## INDEX.

## G

- G**allia diuersis insectorum generibus ante cimilia  
bella vexata. 8.b  
Gallia paradiso comparata. 36.b  
Gaudendum in domino & quomodo. 62.b  
Germani terras Gallorum depopulati sunt. 85.b

## H

- H**eretici clamosi. 37.a  
Heretici lani, & carnifices. 33.b  
Heretici ordinem ecclesiasticum peruertunt.  
29.a  
Heretici patrum doctrinam suis affectis inuisam red-  
dunt. 5.a  
Heretici vermibus similes. 13.a  
Heretici victorum partes sequuntur. 87.a  
Hereticorum ministri sua mutarunt nomina. 4.a  
Hereticorum tragica mors. 57.b  
Historia corruptores. 7.a  
Hugnotica crudelitatis monstruosa exempla. 27.a  
Hugnotici non solum monachos, sed etiam principes  
catholicos dolo & fraude aggressi sunt. 15.a  
Hierosolima typus ecclesie. 78.b  
Hypocritarum simulata sanctitas. 41.b

## I

- I**eunii christiani & philosophici discrimen. 43.a  
Ieiuniorum abusus reprehenditur. 23.b  
Ieiunium frequens in ecclesia. 42.b  
Ieiunium opus meritum. 48.a

## INDEX.

- Ieiunium quadragesimæ apostolicum est. 22.a  
Ieiunium transgredientes morte afficiebantur. 22.a  
Imperia florentissima à barbaris evertuntur. 9.b  
Inuocatio exigit fidem, prædicationem verbi, & sa-  
cramenta. 77.b  
Inuocatio in nomine Iesu. 78.a  
Ioëlis de spiritu sancto vaticinium. 1.a  
Ioëlis propheta magna inter apostolos auctoritas.  
ibid.  
Ira Dei mire depingitur. 36.b  
Iudæi omnium ludibrio expositi. 67.b  
Iudicium Dei horrendum. 39.b  
Iudicii ultimi locus. 82.a

## L

- L**ampadum ac cereorum vsus vetustissimus in ec-  
clesia. 20.b  
Les recens nuptos à functionibus publicis absoluebat.  
50.a  
Liberum arbitrium cum gratia Dei manet. 44.a  
Libido non est sine gula. 66.b  
Linguarum dona longe post apostolos floruerunt. 73.b  
Locustæ Germaniam & Italianam multum vexarunt.  
8.b  
Lucendum, non propter diuitias amissas, sed cum re-  
ligionis exercitio priuamur. 14.b

## M

- M**alos perdit Deus, quorum opera vsus fuerat  
40.a  
• Marcus euangelista Romæ euangelium scrip-  
sit. 6.a  
Martionis imperatoris pietas. 47.a

## INDEX.

Matrimonii officium aliquando cedendum.	51.a
Mæsis præmatura, ob abusum, grandine perit.	11.b
Militaris ordo seruandus.	38.a
Militis effrenis licentia quondam repressa.	18.a
Militum galloꝝ olim gloria.	38.a.b
Monarchiæ uerbis comparantur.	12.b

## N

Nonatianorum inscitia.	41.a
------------------------	------

## O

Oblatio pro defunctis.	15.b.16.a
Opera bona exigit Deus cum melioris uite proposito.	42.a
Opera malorum uititur Deus.	39.a
Orantibus tria requiruntur.	53.b
Oratio mentis non sufficit.	24.b.27.b

## P

Palestina fertilis.	36.a
Panis benedictionis.	26.b
Parentum spe resurrectionis antiquitas.	16.a
Pastores de grege semper bene sperent.	28.a
Pastores nostri summo amore prosequendi.	15.b
Pastorum est classicum canere.	31.b
Pastores veteres controuersias per traditam doctrinam disceptarunt.	6.a
Paulus Ioelis auctoritate uititur.	1.b
cum Peccato non semper & pœnam remittit Deus.	45.b

Peccatum

## INDEX.

Peccatum antistitum multiplex.	19.b
Pelagianorum error de non baptizandis paruulis arguitur.	50.a
Persecutiones maxima in fine seculi.	75.b
Personarum diuinarum distinctio ex Ioel.	71.a
Petrus & Paulus ecclesiæ principes.	1.b
D. Petrus Ioelis auctoritate doctrinam christianam confirmat.	1.a
Phatuel interpretatur.	4.a
Pietatis exercitia non tollenda propter abusum.	43.b
Pii uiri non sunt publicarum calamitatum expertes.	28.a
Pluuia matutina & serotina quid sit.	64.a.b
Pœnitentia acerbiores pœnas auertit.	19.a
Pœnitentia à Deo instituta.	24.b
Pœnitentiæ fructus.	4.b
Pœnitentiæ uis & efficiencia.	41.a
Pœnitentiam ueram ecclesiæ catholica semper docuit.	39.b
Pœnitentia sacra anchora.	41.a
Populi non sunt sedibus pellendi.	83.
Posteritati prouidendum.	7.a
Potentes in opere & sermone non docentes supplicia grauiamant.	3.a
Præsules suorum subditorum miseria desistere debent.	53.a
Precaudi formula.	54.b
Preces ecclesiæ suo fructu non carent.	56.b
Preces multorum facilius exaudiuntur.	48.b
Prodigia & signa conspiciuntur in maximis rerum mutationibus.	39.a
Prodigiorum frequentia post Ascensionem Christi.	75.b



## INDEX.

Propheta ex utroque sexu.	72.b
Propheta.	3.a
Propheta ob multas rationes suis vaticiniis parentum nomina praefigunt.	4.a
Prophetare quid.	73.a
Pronidentia Dei stabilitur.	82.a
Proximo libenter condonandum.	45.a
Pseudopropheta sibi testes & professores.	3.a

## Q

**Q**uadragesima imitationem Christi continet. 22.b

## R

Reges curare debent quae sunt religionis.	46.b
Reges ecclesiae nutriti.	47.a
Reges non temere iudicandi.	2.a
Reges pii doctorum obiurgationes patienter tulerunt.	32.b
Religio servat imperia.	51.a
Revelationes in somniis & visionibus fiebant antiquitus.	74.a
Romani ebrietatem mulierum morte plexi sunt.	10.b

## S

Sacerdotis munus non temere assumendum.	53.a
Sacerdotum est decernere ieiunium, dies festos, & supplicationes.	22.a
Sacerdotum preces Deus plurimi fecit.	51.b
Sacrificium mensae domini cibario sacrificio succedit.	21.a
Sacrificium soli Deo offerendum.	19.b
Senes diligentiores esse debent ad audiendum verbum Dei.	4.b

## INDEX.

Senum nomine principes & sacerdotes intelliguntur	
ibid.	
Senum sententia maturior.	22.a
Signorum & prodigiorum diuersa ratio.	76.b
Solemnibus diebus epulabantur Iudaei coram domino	26.a.
Spiridionis hospes carnibus vesci tempore quadragesimae recusauit.	23.b
Spiritus sancti dona in multiplici differentia.	72.b
Spiritus sancti dona Iudaeis & gentibus promittuntur.	72.b
Spiritus sancti probatur diuinitas.	71.a
Syfnii consilium pro exponenda scriptura.	6.b

## T

Templorum expilatores male perierunt.	87.b
Templum locus poenitentiae aptus.	52.a
Tempus sub quo Ioel vaticinatus est.	1.b
Tuba vsus in synagoga.	30.b
Turcae non sunt babylonis mitiores.	85.a
Turcarum nefandissimi mores.	35.b
Tyranni infauste perierunt.	57.a & 60.b
Tyrannos seruire permittit.	61.b

## V

Verbum Dei auidè excipiendum & audiendum.	3.b
Verbum Dei multipliciter accipitur.	3.b. & 5.a
Veritas liberanda Hugnosticos non expectauit.	4.a
Vini vsus.	11.b
Vigilia vnde dicta.	20.b

## Z

Zelus quid sit.	57.a
-----------------	------